HS

IN.

SYNODUS DIOECESANA

AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

GABRIELE PAPA,

ARCHIEPISCOPO SURRENTINO

CELEBRATA

IN METROPOLITANA ECCLESIA SURRENTINA


FERIA 3.ª POST PENTECOSTEN,

IDEST,

DIE 5.ª JUNII, ET SEQUENTIBUS DIEBUS SEPTIMA, ET OCTAVA

EJUSDEM, ANNO DOMINI MDCCCXXIII.

LEONE XII. PONTIFICE O. M.





NEAPOLI 1828,

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI FERNANDES.

INDICTIO SYNODI.

GABRIEL PAPA,

MISERATIONE DIVINA, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS.



Quamquam ab ipso suscepti hujus Surrentinae Ecclesiae regiminis primordio omnem sollicitudinem eo intenderamus, ut Dioecesanam Synodum ad excolendam vineam tenuitati nostrae a Domino commendatam convocaremus; attamen conceptum consilium, animiqne nostri vota executioni demandari non posse, nisi perlustrata S. Visitatione Dioecesi, illico intelleximus. Quomodo enim apta, et salutaria cuique remedia a Nobis praestanda erant in Synodo, nisi Cleri, populique morbos; Dioecesis necessitates perspectas haberemus? Haec, aliaque similia fuerunt in causa, cur sine ulla temporis mora, et conceptum votum exequi valeremns, sanctam Pastoralem

visitationem, pro Sacrorum Canonum instituto, ipso fere Pontificatus initio suscepimus, et celebrandae Synodi desideria in opportuniora tempora conjecimus.

In praesenti, antequam haec nostra Sancta Visitatio, Dei annuente Misericordia, absolvatur, Synodum Dioecesanam indicimus, et convocamus. At quoniam *nisi Dominus ædificaverit Dominum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam;* (*) ideo, dilectissimi Nobis in Christo filii, *scindite corda vestra* coram Domino (**), ardentissimis votis, ac precibus ab ipso efflagitate per Jesum Christum filium ejus, ut ad majorem sui ipsius nominis gloriam; animarumque Nobis concreditarum profectum hanc Dioecesanam Synodum congregandam intima roris suae gratiae aspersione faecundet, et sui spiritus lumine nobis adesse dignetur, ut uberioris fructus ad animarum salutem in suo sancto nomine consequi possimus.

Per praesentes igitur demandamus, ut

(*) Psal. 126.
(**) Joel cap. 2. v. 13.

quotidie, quoad ipsa Synodus absoluta fuerit, in choro cantetur *Veni Creator Spiritus*, cum oratione de Spirito Sancto, quod etiam Præsbyteri, qui in choro addicti non sunt, officio absoluto, privatim facere tenentur.

Praeter haec, a die XXVIII Mai usque ad quartam Junii diem Litaniae omnium Sanctorum cum precibus adijciantur, ut illorum etiam suffragantibus meritis plenissimam benedictionum copiam referamus.

Die quinta Junii hujus anni, hora undecima, de mane, Dioecesana Synodus in Nostra Metropolitana Ecclesia convocabitur. Hinc infrascripti omnes, hora praedicta, in Nostro Archiepiscopali Palatio aderunt propriis ornati insignibus, videlicet omnes Dignitates, et Canonici Metropolitanae Ecclesiae: Itidem Mansionarii, sive Beneficiati ejusdem: quatuor Deputati per singulas Collegiatas hujus Dioecesis: omnes Parochi, atque Curati: Vicarii Foranei: deputatus unus per unumquemque Clerum Ecclesiarum Collegiatarum; et Archipraesbyter Cleri Plani Surrenti cum duobus Deputatis ejusdem Cleri.

Certi demum, quod omnes prompto animo obtemperaturi sint, ab ipso omnium gratiarum Fonte super oves Nobis concreditas singulares adprecamur benedictiones, Divinaeque Misericordiae largitates.

Jubemus hoc Nostrum Edictum, et Cathedralis Nostrae Ecclesiae, et omnium Paraeciarum, tum in Civitate, tum in Dioecesi valvis publice affigi; cumque affixum sic fuerit, eam habere vim volumus, ac si eorum singulis, quorum interest, denunciatum fuerit.

Datum Surrenti in Archiepiscopali Palatio die vigesima quarta Maii anni MDCCCXXVII.

INSTRUCTIO AD CLERUM.

DE METHODO SYNODALI.

GABRIEL PAPA

MISERATIONE DIVINA, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS.

Instante jam Synodali die, quæ quinta est Mensis Junii, Feria tertia Pentecosten, in qua primam Nostram Synodum convocandam indiximus, omnibus, et singulis, qui de jure, vel consuetudine ad eam accedere tenentur ediximus, ut decenti habitu in Nostra Metropolitana Ecclesia adessent; nunc eosdem instruendos censemus, ut Clerus Noster ad Synodales hujusmodi congressus, favente Dòmino, paratior conveniat.

Omnes, qui interesse debent accedant cum vestibus talaribus, biretis, et superpelliceis mundis; Canonici, et Parochi cum eorum insignibus; singuli cum decenti tonsura.

Prima Synodi die ad Aulam Palatii Nostri accedant singuli, ut eorum comitatu præcedente, Canonicis vero Ecclesiæ Nostræ Cathedralis subsequentibus, descendamus, quod in regressu ab eadem Ecclesia, ultima die, sessionibus habitis, pariter fiet.

Qui, obtento Beneficio, nondum in Synodo fidei professionem emiserit, ferat secum schedulam, in qua scriptum sit ejus nomen, et cognomen cum Titulo Beneficii unius, vel plurium, et professione emissa, illam tradat Synodi Notariis.

Dum Clerus sigillatim vocabitur in fine ultimæ lectionis, singuli vocati respondeant — Adsum — et obedientiam præstent, ut a Magistris Cærimoniarum Synodi fuerit eis insinuatum.

Ad Synodalem actionem hora 12 singuli sollicite veniant, et tam in incedendo, quam in sedendo nullum præjudicium alicui inferatur.

Omnes attenti sint, et quibus parendum sit, pareant, sedendo, stando, genuflectendo.

In processione Synodum præcedente Crux Cleri præcedat; Clerici omnes in sacris; Parochi cum stola rubra, et Canonici cum sacris vestibus, et, qua par est devotione, et modestia, capite operto; hymnosque, et psalmos a nostro Cantore incipiendos attente canant, et devote.

Caveant denique omnes, et singuli quæ minime congruunt Ecclesiasticæ disciplinæ, aut Synodalis actionis Dignitati, locique venerationi. Hæc audentes peragere, vel singula eorum, quæ præscripsimus, prætermittere, pœnis ad nostrum arbitrium, dum certiorati fuerimus, punientur. Datum Surrenti ex Archiepiscopali Palatio die 30 mensis Maii, 1827.

Gabriel Archiepiscopus Surrentinus.

APERTIO SYNODI,

ET PRIMA SESSIO

Habita die 5. Mensis Junii, Feria 3. Pentecosten.

Post horam duodecimam, Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Cappa indutus, Clero Synodali antea in Aula Sui Palatii recollecto, hoc ordine, præcedente, scilicet Clericis omnibus, et Beneficiatis cum Superpelliceis; Parochis cum stola rubra, inde Canonicis Collegiatæ Capritanæ, nec non Massæ-Lubrensis; Vici-Equensis, et S. Michaelis Archangeli Carotti cum propriis insignibus, atque Clericis Seminarii Archiepiscopalis, Hebdomadariis, aliisque viris nobilibus, Cruce Archiepiscopali præeunte, subsequentibus vero Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ ab eodem Archiepiscopali Palatio ad ipsam Ecclesiam Cathedralem descendit, et postquam aliquantulum ante Sanctissimum oraverit, accessit ad Thronum, ubi Pontificaliter paratus, Canonicis pariter paratis sacris ve-

stibus cuivis ordini congruentibus, propter octavam Pentecosten, Missa Pontificalis de Spiritu Sancto celebrata est.

Peracta Missa, ordinata fuit Processio per ipsam Ecclesiam, propter pluviam, præcedentibus Congregationibus laicorum Civitatis, deinde Clerus Universus, ac Parochi; postea Canonici Collegiatarum sub propria Cruce, post quos sequebatur Crux Ecclesiæ Cathedralis cum Seminarii Clericis; Hebdomadarii ejusdem Cathedralis; denique sub Cruce Archiepiscopali, per Subdiaconum paratum delata, Canonici similiter Sacris vestibus induti, ac ipse Illustrissimus, et Reverendissimus Archiepiscopus cantantes hymnum *Veni Creator Spiritus*, et Psalmum *Exurgat Deus*. Deinde singuli petierunt loca disposita.

Synodalis tamen consessus ita dispositus erat. Thronus Illustrissimi, et Reverendissimi Domini solemniter erat paratus, ac similiter tota Ecclesia, ac præsertim suggestum. Inter Thronum præfatum, et gradus, quibus ascenditur ad altare majus in medio aderat faldistorium paratum: Hinc inde scamna cum suppedaneis panno violaceo cooperta pro Canonicis Cathedralis, dein sedebant Hebdomadarii ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ, postea Deputati Collegiatarum, juxta Edictum antea promulgatum; Tandem Parochi omnes Diœcesis. A tergo vero Deputati Cleri Capritani; Massæ Lubrensis, Vici-Equensis, et Plani Surrenti, juxta ordinem in eodem Edicto præscriptum, laicis exclusis. Adfuerunt tantum, tanquam auditores, de licentia Ar-

chiepiscopi, Ecclesiastici in Sacris constituti, tam de Clero Surrentino, quam de Plano. Ad pedes vero Throni in Sede peculiari coriacea, a parte sinistra, sedebat Dominus Provicarius Generalis, nec non Judex querelarum. E regione vero ipsius Throni in scamno peculiari sedebant Canonici, Promotor Synodi; Secretarius Synodi; et duo Notarii Sanctæ Synodi ad id electi, suis adhuc paramentis induti. Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Archiepiscopus in suo Throno sumpsit Pluviale rubrum, mitram et baculum, et accedens ad faldistorium in medio Chori, ut supra, dispositum, ibique, sedentibus omnibus, sedit; Canonicus Diaconus stans à dexteris Archiepiscopi versus Clero cantavit *Orate*. Et Archiepiscopus genuflexus, sine mitra inchoavit antiphonam *Exaudi Domine*, psalmoque dicto *Salvum me fac Deus*, scholà prosequente, Archiepiscopus, accepta mitra, ad faldistorium recessit. Ea vero iterum deposita, conversus ad Altare recitavit orationem *Adsumus Domine*, ut in Pontificali. Post orationem, denuo cum mitra, unà cum omnibus genuflexus, recitatæ sunt per duos Hebdomadarios Litaniæ; ad verba *Ut hanc præsentem Synodum*, surgit Illustrissimus, ac Reverendissimus Archiepiscopus, et Synodo benedicta, iterum procumbit usque ad Litaniarum finem, quibus expeditis, stans in faldistorio versus ad Altare dixit orationem *Da quæsumus*.

His peractis, sedens cum mitra, incensum in thuribulum injecit, illudque more solito, mini-

strante presbytero, benedixit. Accepta vero de more benedictione, duo Canonici, Diaconali, et Subdiaconali veste induti una cum acolythis candelabra deferentibus, accesserunt ad locum solitum ad canendum Evangelium, et in fine Archiepiscopus fuit incensatus a Presbytero adsistente.

Post hæc Archiepiscopus, mitra deposita in eodem loco, versus Altare genuflexus intonavit Hymnum *Veni Creator Spiritus*, prosequente Clero, stantibus omnibus post primam stropham. Quo expleto, Archiepiscopus, reassumpta mitra, sedit, sedentibus omnibus cum silentio, et ita ex Pontificali Clerum alloqutus est, *Venerabiles consacerdotes* etc. Deinde idem Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus sermonem ad Synodum habuit, ut infra.

Postea Dominus pro-Vicarius Generalis accessit ad Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum, cui facta debita reverentia, obtulit et Sacri Concilii Tridentini Codicem, et præcedentia Synodi Decreta, quæ fuerunt ab eodem Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Secretario Synodi tradita, qui, illis acceptis, duobus comitantibus acolythis in suggestum ascendit, et alta voce sequentia Decreta denunciavit.

DECRETUM PRIMUM.

De Synodi inchoatione.

In nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis Patris, Filii, et Spiritus Sancti.

Nos *Gabriel Papa* Miseratione Divina, et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Surrentinus.

Ad Dei Omnipotentis, ac Deiparæ semper Virginis Mariæ, S. Antonini hujus Dioecesis præcipui Patroni, aliorumque Sanctorum Titularium laudem, primam hanc nostram Dioecesanam Synodum incipimus, et incœptam esse volumus. Ipse Paraclitus, cujus est supernæ claritatis lumine mentes fidelium illustrare, donorum suorum largitione Nobis adesse dignetur, ut quæ recta sunt sapere, ac in præsens cognoscere valeamus, eademque in posterum exequamur.

DECRETUM SECUNDUM.

De præjudicio non inferendo.

Si cui contingerit suo loco non sedere, nec incedere, aut vocari, nullum præjudicium illatum, aut novum jus acquisitum decernimus, sed omnia in eo statu permanere, in quo ante hanc præsentem Synodum reperiebantur.

DECRETUM TERTIUM.

De modo vivendi tempore Synodi.

Quia Ecclesiasticis omnibus aliud ex Divinis litteris, et monumentis non commendatur, quam vitæ integritas, innocentia morum, fides, et pietas, Religio, aliæque virtutes, quæ ornamenta sunt, quibus Domus Dei maxime, ac præcipue excolitur, ideo Clerum hic præsentem, Coronam hujus Sanctæ Synodi, in Domino monemus, ut sicuti semper, ita et in posterum verbo, et exemplo præluceat ad omnium virtutum splendorem.

DECRETUM QUARTUM.

De Ministris Synodalibus.

Ut Synodus hæc, juxta S. Concilium Tridentinum convocata suos habeat Ministros, quibus dirigatur, constituimus, et deputamus suos officiales, qui sequuntur.

OFFICIALES SYNODI.

Promotor Synodi.

D. Raphael Purpo Canonicus Theologus hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Surrentinæ.

Secretarius.

D. Antoninus Palomba Canonicus ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ.

Notarii.

D. Vincentius Gargiulo, Canonicus ejusdem Eccl.

D. Antonius Castellano Canonicus ejusdem Eccl.

Magistri Cærimoniarum.

D. Michael Bozzaotra Canonicus Collegiatæ Massæ-Lubrensis.

D. Antonius Palomba Sacerdos Eccl. Metropol.

Procurator Cleri.

D. Franciscus Rossi Canonicus Eccl. Metropol.

Præfectus Disciplinæ.

D. Franciscus Xaverius Porzio Sacerdos.

Æconomi, et Janitores.

D. Gabriel Castellano Hebdomadarius Eccl. Metr.

D. Pasqualis d'Alessandro Hebdomadarius Eccl. Metrop.

DECRETUM QUINTUM.

De querelis deferendis, et absentium excusationibus.

Quoniam ex antiquo Sacrorum Canonum instituto audiri debent querelae, si quæ sint; ideo, pro eis recipiendis, deputamus Nostrum pro-Vicarium Generalem, et promotorem Fiscalem Nostræ Metropolitanæ Curiæ; reservata tamen auctoritate avocandi ad Nos, etiam durante Synodo, hujusmodi causas, vel aliis ad Nostrum beneplacitum committendi: absentium vero excusationes ad Nos deferantur.

DECRETUM SEXTUM.

De non discedendo.

Omnes, qui in hac Synodo interesse debent, sub pœna excomunicationis ab eodem non discedendi obstringimus, antequam ipsa de more dimissa, et absoluta non fuerit, et benedictio Nostra impartita, nisi fuerit a Nostro pro-Vicario Generali elargita facultas.

DECRETUM SEPTIMUM.

De Oratione publica.

Quoniam veteris est instituti in Synodali conventu pro publicis rebus orationem fieri, idcirco tam in Missis, quam in aliis orationibus publicis fiat Collecta de Spiritu Sancto, quæ incipit *Deus, qui corda fidelium,* durante præsenti Synodo.

His lectis, Dominus Canonicus Synodi Promotor in suo habitu accessit ad Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum Archiepiscopum, et profunde inclinatus institit pro lectione Decretorum Tridentini de Fidei professione, et Residentia, his verbis.

Illustrissime, et Reverendissime Pater, et Domine.

Cavet Sacrosanctum Concilium Tridentinum, ut omnes, qui Beneficia Ecclesiastica consecuti sunt, et, qui Synodo Diœcesanæ interesse debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur fidei pro-

fessionem faciant, ac præstent, prout illa Tridentina Sanctione espressum est, nec non Decreta de Residentia publicentur; ideo Ego Raphael Purpo Canonicus Theologus hujus Synodi Promotor humiliter peto, et requiro Sanctionem illam legi, et ad præscriptum ab iis, qui tenentur, omnia, et singula præstari.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Archiepiscopus respondit, *legantur*.

Canonicus Secretarius de Mandato Illustrissimi, et Reverendissimi Domini legit decretum de professione Fidei, editum Ses. 15. Cap. 2., et Decretum de Residentia Ses. 23. Cap. 1.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Archiepiscopus in hac prima Sua Synodo Diœcesana eandem professus est genuflexus in suo Faldistorio, Canonicis Diaconis, et Praesbytero adsistentibus, primoq. Diacono ante eum Evangelium tenente pro juramento præstando, stantibus pro reverentia cæteris de Clero, his verbis.

Ego Gabriel Papa Archiepiscopus Surrentinus promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizzo, voveo, et juro, juxta professionis fidei formulam ex Bulla felicis recordationis Pii Papæ IV. Singula singulis referendo. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

Post hæc, de mandato ejusdem, Canonicus secretarius de Suggestu indixit, quæ Sequntur.

Universi, qui postquam Ecclesiastica Beneficia obtinuerunt, nec dum in Synodo professi sunt fidei for-

mulam, hanc eandem, stantes ante Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum emittant.

Fidem professuri, postquam ejusdem formulam, juxta Pii IV. Constitutionem, Secretario de Suggestu perlegente, pronuntiaverunt, accesserunt ad ipsum Archiepiscopum, primum omnes Canonici Cathedralis bini, et bini genuflexi, postea Canonici Collegiatarum, sicut Parochi, et alii Beneficiati, qui sequenti modo professionem Fidei emiserunt.

Ego N.N. Spondeo, voveo, et juro: sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Evangelia.

Instituit postea Promotor pro electione judicum, et Examinatorum Synodalium, nec non testium, hoc modo.

Concilium Tridentinum Bonifacii Octavi Constitutioni inhærens decrevit, ut in Conciliis Diœcesanis aliquot Personæ Dignitates, aut Personatus habentes, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici designentur, quibus, præter locorum Ordinarios causæ Ecclesiasticæ, ac Spirituales, et ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem committantur. Decrevit insuper alia Constitutione, Examinatores in Diœcesana Synodo ab Episcopo, ad minus sex proponi debere, ut in Parochialium Ecclesiarum vacatione tres ex illis ab Episcopo eligendi cum eo Examen instituant, et perficiant; nec non eligantur oportet viri probatæ vitæ in Testes Synodales, juxta præscriptum Sacrorum Canonum. Idcirco Ego Raphael Purpo Canonicus Theologus

Synodi Promotor humiliter peto, et insto tot personas, et quales Constitutiones prædictæ postulant, et alioquin ad id aptas ab Illustrissima, et Reverendissima Dominatione Tua designari, ita ut in hac Synodo pro hujus Diœcesis amplitudine Examinatores, et Iudices deligantur, qui hujusmodi munus examinandi, judicandive ex præscripto Decretorum Conc: Trid: præstent omnino.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus respondit: Ita decernimus, et jubemus.

Secretarius de mandato ejusdem legit.

DECRETUM OCTAVUM.

De Judicibus Synodalibus.

Ejusdem Sacrosanti Tridentini, ac Bonifacii Papæ VIII., nec non aliorum Summorum Pontificum Constitutionibus inhærendo infrascriptos Judices, quibus Causæ per Sedem Apostolicam delegari possent, et in Regularium Conservatores eligi valeant, juxta prædictorum Sanctiones vobis proponimus.

Judices Synodales.

Admodum Rev: Dom: Alexander Marziale Metr: Eccl: Surrentinæ Archidiaconus, et Pro-Vicarius Generalis.

Adm: Rev: Dom: Antoninus Ruocco Metrop: Eccl: Can: Primicerius.

Adm: Rev: Dom: Augustinus de Angelis Metrop: Eccl: Can: Cantor.

Adm: Rev: Dom: Hyeronimus Ammone Metrop: Eccl: Can: Thesaurarius.

Adm: Rev: Dom: Dominicus Ammone ejus. Metrop: Eccl: Canonicus.

Adm: Rev: Dom: Vincentius Fajella ejus: Metr: Eccl: Canonicus.

Adm: Rev: Dom: Franciscus Rossi ejus: Metrop: Eccl: Canonicus.

Adm: Rev: Dom: Raphael Purpo ejus: Metrop: Eccl: Canonicus Theologus. Segretarius Synodum rogavit per verba : Placent ne vobis ? Responderunt : Placent.

DECRETUM NONUM.

De Examinatoribus Synodalibus.

Sacr: Conc: Tridentini Sanctionibus obsequentes, proponimus Vobis hos viros pietate, ac doctrina præstantes, qui Examinatorum officio fungantur, quoad altera Synodus habeatur.

Examinatores Synodales.

Adm: Rev: Dom: Vincentius Pica Metrop: Eccl: Canon: Pœnitentiarius.

Adm: Rev: Dom: Franciscus Stephanus Candela ejus: Eccl: Can:

Adm: Rev: Dom: Antoninus Palomba ejus: Eccl: Canonic.

Adm: Rev: Dom: Vincentius Gargiulo ejus: Eccl: Canonic:

Adm: Rev: Dom: Antonius Castellano ejus: Eccl: Canonic:

Rev: Dom: Januarius Conte Eccl: Collegiatæ Capritanæ Can:

Rev: Dom: Pascalis Orsi Eccl: Collegiatæ Massæ-Lubrensis Archidiaconus.

Rev: Dom: Aloysius Casa Eccl: Colleg. Massæ-Lubr. Canonicus Cantor.

Rev: Dom: Aloysius Cacace Eccl: Colleg. Massæ-Lub: Can: Theologus.

Rev: Dom: Petrus Paulus Maldacea Eccl: Colleg: Massæ-Lubr: Can.

Rev: Dom: Crescentius Savarese U. J. D. et Eccl: Colleg: Vici-Æquensis Can. Archid.

Rev: Dom: Petrus Parascandolo Eccl: Coll: Vici-Æquensis Archipresbiter.

Rev: Dom: Mathias Starace Eccl: Coll: Vici-Æquen: Canonicus.

Rev: Dom: Joseph Massa Eccl: Colleg. S. Michaelis Archangeli Carotti Præpositus.

Rev: Dom: Aguellus Cota ejus: Eccl: Coll. Can.

Rev: Dom: Aloysius de Nicola ejus: Eccl: Coll: Canonic.

Rev: Dom: Stephanus Porzio Eccl: Parochialis Mortoræ Parochus.

Rev: Dom: Raphael Gargiulo Eccl: Parochialis Trasajellæ Parochus.

Rev: Dom: Thomas Paturzo Eccl: Paroch: SS. Prisci, et Agnelli Æconomus Curatus.

Rev: Dom: Raphael Casola Eccl: Paroch: S. Agatæ Parochus.

Rev: Dom: Liberatus Cangiano Eccl: Paroch: S. Petri Monticuli Parochus.

Rev. Dom: Daniel Buonocore Eccl: Paroch. S. Antonini Parochus.

Rev: Dom: Antoninus de Majo Plani Surrenti Archipresbyter.

D. Michael Angelus Gargiulo Sacerdos Ecclesiæ S. Agnelli.

D. Franciscus Porzio Sacerdos Eccl: Metæ.

D. Cajetanus Cafiero ejusd: Eccl: Sacerdos.

D. Carolus Maresca Eccl: Paroch: Carotti Sacerdos.

D. Nicolaus Castellano Eccl: Paroch: S. Agnelli Sacerdos.

D. Petrus Arcucci Terræ Anacapritanæ Sacerdos.

D. Dominicus Maresca Eccl: S. Viti M. Sacerdos.

D. Donatus Savarese Eccl: Paroch: S. Marci Sacerdos.

P. F. Samuel e Neapoli Guardianus Min: Observantium Surrenti.

P. F. Bernardus a Castellammare Guardianus Cappucinorum Plani Surrenti.

Similiter Secretarius Synodum rogavit per verba. Placent ne vobis: Responderunt: Placent.

DECRETUM DECIMUM.

De Testibus Synodalibus.

Ex veteri Sacr: Canonum Lege præscriptum est, viros aliquos moribus, ac discretione probatos in Synodo eligi, qui animadvertant diligenter, an aliquid in Urbe, vel Dioecesi sit, quod corrigi debeat; atque, si quid tale dignoverint, Nobis, vel Provicario Generali, rogati, fideliter significare teneantur: Huic ergo muneri pro hac Civitate, ac Diæcesi eligimus viros, quorum nomina, ut liberius id agant, quod ipsis incumbit, in schedula Nostro Sigillo signata retinentur.

Deinde idem Canonicus Secretarius subjunxit.

Accedant ad Illustrissimum, et Reverendisimum Dominum Examinatores electi, qui genuflexi ex præscripta forma jusjurandum præstent. Testes autem jurabunt secreto in manibus Illustrissimi, et Reverendissimi Domini, vel ejusdem Provicarii Generalis.

Ego NN. Examinatoris Officium, quod suscipio, spondeo, voveo, ac juro me fideliter, ac sincere, quantum in me erit, executurum, quacumque humana affectione postposita. Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

DECRETUM UNDECIMUM.

De Juramento præstando ab absentibus.

Examinatores per Nos nominati, et Deputati, si in Synodo, ex præscripto, jusjurandum non præstiterint, illud præstent, prout eisdem Dominus Provicarius Generalis demandaverit.

DECRETUM DUODECIMUM.

De Discessu.

Nullus a suo loco discedat, antequam Illustrissimus, et Rev: Dominus e Synodo abierit, et in discedendo non fiat raptim, sed gravi, et decoro incessu.

Synodi Promotor ad Notarios conversus institit pro rogitu Actorum.

Ego Raphael Purpo Can: Theol: Metrop: Eccl: Surrentinæ hujus Synodi Promotor rogo Vos adm: Reverendos Dominos Vincentium Gargiulo, et Antonium Castellano Synodi Notarios, ut de omnibus, et singulis in hac Sessione peractis Instrumentum conficiatis.

Responderunt Notarii: Conficiemus; præsentibus NN. inscriptis.

Tandem Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Synodo benedixit absque indulgentiis, et discessit, Canonicis tantum sequentibus.

Deinde Synodi Secretarius de Suggestu indixit futuram Sessionem, his verbis.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus in Christo Pater, et Dominus D. Gabriel Papa Archiepiscopus Surrentinus, et in hac Diæcesana Synodo Præsidens indicit, et decernit Sessionem sequentem fore Feria V., quæ erit mensis hujus Septima dies.

SESSIO SECUNDA.

Habita die Septima Mensis Junii ejusdem anni.

Clero in Ecclesia expectante, post horam duodecimam ad Cathedralem se recepit Illustrissimus Dominus cappa indutus, cum Capitulo; aquæ aspersione, et precibus ad Sanctissimum Sacramentum persolutis, praemissa vocatione Cleri, omnibus Canonicis paratis Cappa, intonavit antiphonam: *Propitius esto*, et cantato psal: 78 *Deus venerunt gentes* etc. recitavit, ex Pontificali orationem *Nostrum Tibi Domine*; et benedicto incenso, ac de more a Diacono, obtenta benedictione, cantavit ipse Diaconus Evangelium *Designavit Dominus* etc. Postea intonavit hymnum: *Veni Creator Spiritus* etc. ac Sedens Clerum allocutus fuit *Venerabiles, et dilectissimi*, ex Pontificiali, et praemissa allocutione e suggestu ab Adm. Rev. Domino Raphaele Purpo Canonico Theologo Metropolitanæ Ecclesiæ, et S. Synodi Promotore, statim iste Promotor instituit pro lectura Synodi.

Quoniam nudius tertius ob temporis angustiam Synodalium Decretorum lectura fieri non potuit; idcirco Ego Can. Theol. Raphael Purpo, et S. Synodi Promotor peto, et suppliciter insto lecturae cursum resumi. Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus respondit: Incipiatur.

Decreta deferuntur a Domino Provicario Generali, et traduntur Synodi Secretario, qui ea legit e suggestu usque ad Titulum de Sacramento Poenitentiae, et postea de mandato Illustrissimi, et Reverendissimi Domini indixit continuationem sesssionis, his verbis: Illustrissimus, et Reverendissimus in Christo Pater, et Dom. D. Gabriel Papa U. I. D. et Miseratione Divina, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Surrentinus in hac Dioecesana Synodo Praesidens indicit sessionis continuationem hodie hora vigesima; propterea monentur omnes, et singuli ad Illam convenire.

Deinde Promotor Synodi institit, accersitis Notariis, pro rogitu actorum. Quibus peractis Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus benedixit clero genuflexo absque Indulgentiis, qua benedictione data, discessit cum Cappa, et Clerus pariter.

Continuatio secundae sessionis hora vespertina.

Hora indicta, dato Campanae signo, omnes, ut mane, ad Cathedralem se receperunt, ad quam pariter Illustrisssimus, et Reverendissimus Dominus deductus a suo Capitolo, et facta de more sibi, et Capitolo

aspersione aquae benedictae, oravit ad Sanctissimum Sacramentum, et facta de more est vocatio Cleri. Inde recitato vespero, et completorio, sedentibus omnibus, Promotor Synodi institit pro lectionis conclusione: Illustrissime, et Reverendissime Pater, et Domine: Cum ea, quæ cæpta sint legi Clero sint valde utilia, neque potuerint angustia temporis absolvi, Ego Raphael Purpo Can. Theologus hujus Metr. Eccl. Surrentinae hujusce Synodi Promotor peto, et insto ea legi, quae desiderantur, antequam dimittatur Synodus.

Archiep. respondit. Ita decerminus, et jubemus.

Secretarius, acceptis Decretis, modo, quo supra, prosecutus est lectionem a Sacramento Poenitentiae usque ad finem, qua completa, Capitulum, et Canonicos, nec non totam synodum vocavit, num ea placerent, verbis illis: Placent nè vobis: Responderunt: placent.

Data benedictione ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Archiepiscopo, Synodus discessit, ut mane, propositis tribus Capitulis orationis mentalis, ut sequitur: Orate primo, fratres carissimi, corporibus prostrati, mentes ad Coelum erigite, ac invocatis Deiparae Semper Virginis, Sanctorumq. omnium, ac Beati praesertim Antonini, aliorumque Patronorum, et Antistitum nostrorum Patrociniis, orate, ut misericors Dominus peccatorum vestrorum veniam vobis concedat, ac negligentiis indulgeat, quas in Sacerdotalibus officiis multiplici errore commisistis. 2. Orate pro Sanctissimo Domino Nostro Leone XII., ut Eccle-

siam sibi commissam sancte gubernet cum Sac. Cardin. Collegio. Orate pro Sancta Catholica Ecclesia Romana toto orbe terrarum diffusa, ut eam Deus augeat, et exaltet ad honorem, et gloriam suam. 3. Orate pro Illustrissimo, et Reverendissimo Archiepiscopo nostro, ut spiritualibus amplificetur augmentis, ac verbo, et exemplo, quibus praeest ad vitam proficiat sempiternam; pro ejus etiam adjutoribus, ac Ministris orate, ut laborum suorum a Deo Benedictionem largissimam consequantur.

SESSIO TERTIA,

ET SYNODI CONCLUSIO.

Die octava Junii ejusdem anni.

Singula, ut in præcedente die septima Junii, peracta fuere. Adm. Rev. Dominus Alexander Archidiaconus Marziale Provicarius Generalis Missam in majori Altare decantavit de Trinitate. Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Cappa indutus cantavit antihp. *Exaudi* etc., et omnibus genuflexis psal. 68. *Salvum me fac*, et surgens recitavit orationem versus Altare: *Ad te Domine.* Diaconus decantavit Evangelium: *Si peccaverit in te*; Deinde Hym. *Veni Creator Spiritus*, et allocutio ad Clerum per Arch. facta est: *Venerabiles etc.* Denique sedentibus omnibus, Promotor Synodi institit pro lectionis con-

clusione, his verbis — Illustrissime, et Reverendissime Pater, et Domine: Cum iis, quæ in 2.ª sessione lecta sunt diversæ res additæ atque reformatæ sint, prout desideria aliquorum expetere cognovisti, ego Raph. Purpo Can. Theol. Metr. Eccl. Surr. hujusce Synodi Promotor insto, atque humiliter peto, ut denuo legantur, et præsenti Synodo publicentur, atque probentur.

Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus respondit: Legantur.

Secretarius, ut alias, Decreta accepit, et denuo ea legit; qua lectione completa, totam Synodum interrogavit, num ea omnia Decreta lecta placuerint, his verbis: Placent ne vobis DD. Dignitates, Canonici, Hebdomadarii, et universa Synodus, quæ hactenus decreta et constituta sunt? Responderunt: Placent.

His peractis, Promotor institit pro vocatione Cleri: Illustrissime, et Reverendissime Pater, et Domine; Sencitum est a Conciliis Generalibus, et præcipue a Concilio Tridentino, ut omnes Ecclesiastici, qui de jure, et consuetudine Synodo Diœcesanæ, quotannis celebrandæ, etiam exempti, interesse debeant, pœnas sancitas a sacris Canon., si negligentes fuerint, incurrant, propterea ego Raphael Purpo Synodi Promotor a Dominatione tua Illustrissima, et Reverendissima peto, ut jubeas a suggestu omnes publice vocari. Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus respondit: vocari jubemus. Statim per Notarios Synodi fuerunt vocatæ Dignitates, et Canonicos Cathed. Eccl., post Ca-

nonicos Hebdomadarii; deinde Canonici Collegiatarum, et Parochi; nec non omnes Patres Synodi. Denique Secretarius indixit continuationem sessionis hora vigesima vespertina, monendo omnes, et singulos ad illam convenire.

Benedictio, et discessio, ut in præcedentibus.

CONTINUATIO TERTIÆ SESSIONIS

Hora vespertina.

Cœremoniis, aliisque actibus, ut in præcedenti observatis, Promotor institit contra contumaces absentes. Illustrissime, et Reverendissime Pater, et Domine: Ex iis, qui juxta Sacrum Canonum dispositionem Diœcesanæ Synodo interesse tenentur, multi nullo jure escusati absunt; ideo ego Raphael Purpo Metr. Ecc. Can. Theol. huj. Synodi Promotor eorum accuso contumaciam, atque insto apud Illustrissimam, et Reverendissimam Dominationem tuam, ut illos, tanquam inobedientes, et contumaces pœnis per eosdem sacros canones constitutis, multandos decernat. Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus respondit: Ita decernimus, et jubemus.

Deinde Secretarius indixit Synodi Conclusionem in proxime sequentem diem de mane, hora duodecima, monendo omnes, et singulos ad illam convenire.

Unus ex hebdomadariis cum cantu proposuit alia tria sequentia capita orationis mentalis, servatis omni-

bus, ut in die antecedenti: orate 1.° Fratres Carissimi, Divinæ miserationis gratiam, ac Deum totius consolationis, quem nobiscum hic adesse credimus, totis viribus invocate, ut quæ, nobis, incenso caritatis officio, Præsul Noster agenda prænuntiat, alacrius exequamur: Utque in unitate spiritus, ac vinculo pacis prompta cum eo solicitudine jugum Domini deferentes, tandem pacis æternæ multitudine conlætemur. 2.° Unanimes orate Dominum messis hujus, ut operarios mittat in messem suam; detque omnibus in hujus Surrentinæ Ecclesiæ vinea laborantibus Divini Spiritus ignem, ac lumen, æternæque tandem retributionis mercedem. 3.° Orate, ut Deus, et Dominus noster omnibus hic sub Regulari disciplina viventibus religiosæ obedientiæ spiritum, ac in virtutibus incrementum benignus indulgeat, ut ex eorum vita fideles populi salubriter instruantur.

Benedictio, et discessus, ut in sess. præcedenti.

Die igitur 9 ejusdem mensis Junii per Dominum Secretarium publicatum fuit Decretum: de Synodi dimissione, postquam obscuriora quædam fuerint explicata, aliaque perpauca ad ultimam limam expolita.

Secretarius itaque e suggestu legit: Illustrissime, et Reverendissime Pater, et Domine: Cum omnia, quæ in hac Diœcesana Synodo agenda, et tractanda erant, Divina auxiliante gratia, ad optatum finem perducta sint, illud ab Illustrissima, et Reverendissima amplitudine tua peto ego Raphael Purpo, ut ipsam Synodum concludere, et cum benedictione dimittere velis.

DECRETUM ULTIMUM

De Synodi Dimissione.

Nos Gabriel Papa U. J. D. Miseratione Divina, et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Surrentinus et in hac Dioecesana Synodo Præsidens: Ad laudem Dei Omnipotentis, B. M. V., Sancti Antonini præcipui Nostræ Civitatis, et Dioecesis Patroni, aliorumque Sanctorum decernimus primam hanc Nostram Dioecesanam Synodum sub eorum auspiciis in his diebus legitime congregatam, dimissam, et absolutam esse, ac propterea cuilibet post Nostram benedictionem Episcopalem licitum esse ad proprias ecclesias, suaque loca regredi; hortamur tamen vos omnes, fratres, filiique dilectissimi, ut tales vos in ministerio vestro præbeatis, quales exquirunt mores, vitæ innocentia, et zelus salutis animarum, ac sitis lux in populo, et sic populus intelligat ab hac Synodo fructum vos non mediocrem reportasse.

Postremo Promotor institit pro rogitu actorum. Ego Raphael Purpo Canon. Theol. Eccl. Surr. rogo vos Adm. Rev. Canonicos Vincentium Gargiulo, et Antonium Castellano, ut de omnibus, et singulis in hac ultima sessione peractis istrumentum conficiatis. Responderunt: Prompti sumus.

Quibus omnibus expletis, Illustrissimus, et Reverendissimus Dom. Archiep. intonavit Hymnum: *Te Deum.* Clero prosequente. Postea Cantor in pulpito, ut in die-

bus antecedentibus cum cantu proposuit tria alia, quae sequntur, capita orationis mentalis. Orate 1.° Fratres Carissimi, obsecremus Deum Omnipotentem, ut Regi Nostro Francisco prosperum felicemque rerum successum, Divina benedictione, concedat, qua hostium conatus, et vitiorum monstra potenter infringat. 2.° Orate pro temporalibus Principibus, atque Rectoribus, ut cum pace, ac populorum salute sua munera prosequantur, Ecclesiæ defensores existant, ac recta semper sentiant, et operentur. 3.° Unanimes orate pro Diœcesis hujus populis, ut in eis misericors Dominus fidem conservet, pietatem augeat, culpas eliminet, terræque fructus abundanter indulgeat, atque ab eis iræ suæ flagella contineat, omnesque calamitates, terroresque dignanter evertat, ut in pacis tranquillitate ad eum, qui via, veritas, et vita est valeant pervenire. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Qua Oratione expleta, Archiep: Sedit, et excepit omnes, primo Canonicos, deinde alios de Synodo ad osculum pacis. Post hæc dedit Clero genuflexo Solemnem benedictionem, et publicatæ indulgentiæ per Dominum Archidiaconum; et Dominus Canonicus primus adsistens a dextris Archiepiscopi cantavit: *Recedamus in pace:* et Universa Synodus respondit: In nomine Christi Amen.

Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus discessit cum Cappa, et toto Clero usque ad Palatium eo modo, et forma, qua prima Synodi die eductus fuit ad Eccles: Cathedralem. 5

Rogitus Actorum.

In Dei nomine Amen. Præsenti publico istrumento cunctis pateat evidenter, qualiter anno a N.D.N.J.C. MDCCCXXVII. die quinta mensis Junii, Feria tertia Pentecosten, regnante Sanctissimo in Christo Patre, et Domino Nostro Leone XII., Surrenti in Cathedrali Ecclesia, præsidente Illustrissimo, et Reverendissimo Domino D. Gabriele Papa, ac præsente Reverendissimo Capitulo, et Canonicis ejusdem Ecclesiæ, universoque per Deputatos Clero totius Diœcesis, ibidem ad Synodum Diœcesanam celebrandam per Edictum respective vocato, ac legitime congregato, post Processionem, et Missam Pontificalem, ac Sermonem ab eodem Illustrissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo habitum, omnia, et singula in actis suprascriptis redacta, et fideliter narrata, gesta, atque peracta fuere; nec non per Adm. Rev: Dominum Antoninum Palomba Synodi Secretarium alta, et intelligibili voce e suggestu lecta, et publicata fuere, primum Decreta Synodi præliminaria, ut de Synodi inchoatione, ac reliquis, prout in iisdem actis; ac etiam lecti, designati, ac Deputati fuere Judices, et Examinatores, nec non testes Synodales, etsi hi suppresso nomine, emissaque fidei professione, ab omnibus, et singulis, qui eam emittere tenebantur.

Die vero septima ejusdem mensis Junii, Missa celebrata, aliisque Sacris Precibus, ac cærimonis persolutis, idem Dominus Secretarius promulgavit Decreta, et Constitutiones Synodales usque ad articulum *De*

Sacramento Pœnitentiæ; sessioneque post Vesperas continuata, deventum fuit usque ad finem Synodi. Die vero sequenti, octava ejusdem mensis, ac tertia sessione Synodali, Missa celebrata, aliisque Sacris precibus, ac cœrimoniis persolutis, Synodalibus Constitutionibus acceptatis, supplici, et breviori libello aliqui tam de Clero, quam de populo obsecrarunt Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum, ut pro sua erga filios benevolentia ad observanda statuta præsentia majori alacritate, vellet obscuriora quædam explicare, aliaque perpauca ad ultimam limam expoliri; quibus, nulla interposita mora ab amantissimo animarum Parente satisfactum est.

Tandem die nona ejusdem mensis Junii per Dominum Secretarium publicatum fuit Decretum de Synodi dimissione, factaque Cleri vocatione, ac obedientia exhibita Illustrissimo, et Reverendissimo Domino cum ejusdem benedictione Synodus dimissa fuit cum gratiarum actione per Hymnum *Te Deum laudamus*, cæterasque preces, ac cœremonias præscriptas. Super quibus omnibus, instante Domino Raphaele Purpo Can. Teol. ac Synodi Promotore, petitum fuit, ut nos tanquam Synodi Notarii publicum, et solemne de his Synodalibus actionibus, prout moris est, instrumentum conficere, atque tradere deberemus, prout opus fuerit, et rogati erimus. Actum ibidem anno, diebus, et Pontificatu, quibus supra, præsentibus DD. Surrentinis Sacerdotibus Francisco de Luca, Simone Gargiulo, et Arcangelo Scarpato, aliisque testibus ad

*

prædicta omnia , et singula vocatis, habitis, atque rogatis.

Et in fide Nos Vincentius Gargiulo, et Antonius Castellano Canonici Metrop: Eccl: Surrentinæ Notarii de prædictis rogati publicum istrumentum confecimus, scripsimus, subscripsimus, nostroque solito signo munivimus. Locus ✠ Signi.

GABRIELIS PAPÆ,

DIVINA MISERATIONE, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPI SURRENTINI

AD CLERUM PRO SYNODO DIOECESANA RITE COACTA

ALLOCUTIO.



Qui mihi semper fuit jucundus conspectus vester, nunc, filii, fratresque Dilectissimi, iure meritoque dicendus est jucundissimus. Etenim actum esset de Pietate, salusque fidelium in summum discrimen vocaretur, nisi quovis modo occurrere aggrederemur exitiali temporum colluviei, quæ nimis audacter fidem, moresque majorum pessundat, et societatem penitus evertere minitatur. Fidem, venerabiles fratres, religionem, veritatem uno verbi Dei testimonio firmissime inniti in medio positum est: at cum Deus Optimus Maximus Nos posuerit, uti lumen in tenebris; imo cum Nos secreverit e multitudine, et elevarit, ut Philo hebræus ajebat, ad primum a natura Divina gradum, ut a cæteris, quorum naturam habemus, reapse distingueremur, nostra maxime interest dies, noctesque vigilare, quasi excubias agere pro muris Sion, nullumque non

movere lapidem, quo fidei puritate adversus pseudo philosophorum portenda omnimode vindicata, effrænique morum licentia viriliter repressa, homines universi teneant viam salutis, æternitatis mysterium consumetur, Ecclesiæque Jesu Christi stet integra majestas, et suus honos. Quare cum pro habenda Synodo, ad quam rite vos vocavi, videam huc auspicato jam convenisse, nimio perfundor gaudio, firmo animo reputans, non posse Nos opus Nostræ Missionis perficere, nisi essemus solliciti de cura fidelium, et de emendatione Ecclesiasticæ disciplinæ. In id unum ergo incumbamus: hoc unum maxime præestat.

At mihi nonnulla ex officio dicere molienti hæret animus ancipiti illa eadem cogitatione, quæ huc illuc egit Divum Bernardum aggredientem compellare summum Pontificem Eugenium: nescio (dicebat ille) nescio, quo modo vult, et non vult exire læta quidem, sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt majestas, et amor. Sic ego in præsentiarum animi pendeo, incertusque sum loquar, an sileam. Majestas vestri sacerdotii, excellensque dignitas ministeriorum, quibus fungimini mihi silentium indicunt, et me tremebundum cogunt fateri: *qui ego sum, ut audeam tangere unctos Domini*? An ne non possum jure vereri, ne mihi studenti arguere alios objectetur illud Evangelii: ejce prius trabem de oculo tuo, et tunc perficies, ut educas festucam de oculo fratris tui? Ita est: Vox faucibus hæret, oratio cessat, *lentaque non vult exire.* Sed veritatis amor, quo pro fe-

licitate Ecclesiæ vos flagrare indubitate teneo exhilarat immoderate animum meum, me recreat suaviter, et ad dicendum nolentem invitat. Itaque oratio est in promptu, *lætaque vult exire.*

Quid enim mihi potest esse jucundius, quam circumspicere me quaqua versus stipatum tot, tantisque viris de hac Diœcesi optime meritis, paratis ad omnia pro honore Ecclesiæ, et pro Evangelii defensione? Quid mihi carius, quam dubitare non posse; quin bene accepturi sitis quæcumque dicenda constitui? Quid mihi dulcius, quam posse spondere, vos una mecum in hoc Diœcesano Conventu dicturos esse leges, Canones, statuta persanctissima, quæ et restaurent Ecclesiasticam disciplinam, et sint Religionis maiestate dignissima. Dicam ergo, et paucis de more expediam.

Neminem vestrum latere arbitror, filii, fratresque carissimi, hisce inauspicatissimis temporibus Ecclesiasticam disciplinam pessime se habere, parumque abesse, quin prorsus actum sit de ea. Hoc unum quisque dolet, de hoc uno omnes pleno ore conquerimur. At ne unus fere quidem est, qui cogitet occurrere rebus tam miseris, et forsan nec erit in posterum. Quis enim suppetias veniet, cum ii quorum maxime interesset subsannent, rideant, vilipendant; imo (proh scelus) studia in contraria currant? O tempora tristia, et humano generi exitialia. Attendite, fratres venerabiles, attendite.

Mysterium illud iniquitatis, nempe *desolationis abominationem*, de qua Jesus Christus loquitur in Evan-

gelio, illaque *tempora periculosa*, quæ Paulus Apostolus minatur, nemo ibit inficias jam jam instare. Pessimo rationis humanæ delirio, et perturbata vocabulorum notione hac nostra ætate, si quæ sunt te nebræ, lumen nominantur. Bone Deus! Quos homines, vel potius, quæ monstra terra nunc gignit, et nutrit! Paucis exceptis, imo vix unó, vel alio, cæteri homines nunc temporis sunt turgidi, sunt vaniloqui, sunt impii, sunt effrænes, sunt protervi, sunt moribus incestis, et adversus quemque inhumane ingrati. Omnes inhiant aliena, sitiunt humanum sanguinem, nulloque scelere abstinent. Universi nesciunt obtemperare Imperio, neque parentum, neque majestatis; neque legum; excutiunt Ecclesiasticam potestatem; parvifaciunt Ecclesiam ipsam, maximosque ministros ejus vilissime contemnunt. Dicam Pauli verbis, quo sincerior videatur. Sunt repleti *omni iniquitate, malitia, fornificatione, nequitia, invidia, contentione, et dolo; sunt susurrones, detractores, inventores malorum; sapiunt terrena, et serviunt potius creaturae, quam creatori.* O tristia tempora! Sinite replicem, o trista tempora, et humano generi vere exitialia! Tantum malorum nostris oculis vidimus, et adhuc videmus.

Attamen aliquo modo ferendum esset, fratres venerabiles, si hujus furfuris homines solum laicos esse perhiberentur. Dolendum est, et maxime dolendum, nonnullos etiam clericos pessimam, et nequam hanc agere vitam. Sunt aliquot clerici, qui, ut D. Bernardus

ajebat, aliud sunt, aliud videri volunt; idest, qui vestitu Clericali agunt laicos. Proh dolor! Circumspicimus passim quosdam Clericos otiosos in foro, palantes tota Diœcesi, politicis rebus implicitos, mancipatos civilibus negotiis, distractos curis Domesticis, avaros, turpi lucro servientes, omnis humanitatis expertes, nulloque pacto, quæ sunt Jesu Christi quærentes.

Hæc vero, licet sint gravia, non sunt tamen pessima. Intolerabili afficior dolore, quoties video aliquos Clericos laicis multo pejores, et vitam viventes ad instar irrationalium brutorum. Heheu! horret animus repetere nefaria, quæ isti perpetrant. Itaque ne alicui periculum creem, consulto prætereo, et dico hoc unum: nonnulli Clerici hujus ætatis mihi videntur brutis animantibus pejores. Ista saltem blandiuntur Dominis suis; at Clerici istiusmodi cuicumque auctoritati nimis audacter resistunt, et (quod indignius est) etiam in Pastorem suum, et Patrem quæque maledicta vomunt licentiose. Bruta animantia saltem aliqua lege sensus sui tenentur; at quidam Clerici hujus œvi, qua verbis, qua factis exleges se dictitant, luxoriose cogitant, arroganter vivunt, et impudenter miscent sacra profanis.

Fatendum vero est existere quosdam paulo humaniores; idest non tam perditis moribus. At hi quam vitam vivunt? Hujusmodi Clerici, aut domi semper stertunt, aut in foro otiantur; aut nimis indulgent vino, aut inserviunt ventri, et ut plurimum inhalant popinas, et huc illuc cursant ad negotia, vel dome-

stica, vel civilia; aut ad summum sui characteris immemores pro Bibliis, et Breviariis, fabellis, Apologiisque futilibus unice delectantur. Quid boni, quæso de hisce Clericis possumus augurari? Vel quæ cura Clericis histiusmodi potest esse Ecclesiasticæ disciplinæ, cum vix sciant vivant, nec ne?

Postremum vero genus, iure pessimum, prorsusque timendum est nonnullorum Clericorum, qui fronte perfricta conantur evertere Religionem, et fidem, quam defendendam sumpsere. Hi et domi retinent, et diu noctuque versant manu libros funestos, quibus ultimo sæculo apertum bellum pietati, rectæque rationi indictum est. O rem horrendam! Aliquot Clerici in deliciis habent, quos deberent odisse libros, et fugere cane pejus, et angue. Clerici venditant, et suadere conantur exitialia dogmata, contra quæ esset e re, et officio suo pro virili parte insurgere! sed hoc ordine eodem, fratres venerabiles, habendi etiam sunt, qui, cum illis factum sit jus administrandorum Sacramentorum ad lavandas maculas fidelium fontibus Salvatoris, remediumque pœnitentiæ ad vulnera animarum applicandum, perdunt potius, quam sanant, destruunt, quam ædificant. Sed horum alius alia ratione incedit. Nonnulli ex his tectum specie cujusdam mysticæ sapientiæ propinant ab Ecclesia reprobatum Molinos Quietismum, quod dicunt. Quidam alii, vel paulo audentiores, vel capti fallaciis Petri Belii, hominis omni execratione dignissimi docent fideles periculosam conscientiarum *indifferentiam*, et delirum Pir-

ronismum. Alii demum, nescio qua de causa in humanum genus severiores, Christifidelibus insinuant fatalem necessitatem, cæterasque de libero arbitrio, de gratia, deque prædestinatione propositiones in Jansenii Augustino ab Ecclesia proscriptas, et damnatas. At hi omnes in Cathedris Pœnitentiæ.

Nonnulli vero de suggestu ausi sunt talia etiam venditare portenta, et (quod vere flens dico) nescio quas ridendas nenias, vel somnia febri laborantium, vel senum deliramenta, atque hæc propria auctoritate, turpisque lucri causa prædicare miracula, apparitiones, revelationes. Tacete: quæ tanta vos cœpit insania? Et forsan ignoratis Ecclesiæ soli jus esse de rebus istis, similibusque pronuntiare? Tacete, inquam, vel nefarie illudentes, vel turpiter illusi.

Hæc est, venerabiles fratres, nostrorum temporum facies, et miseria. At ego animum dejectum relevo, cum videam vos promptos, paratosque ad omnia, ut rebus tam dubiis, miserrimisque suppetias feratis. Eja cito accurrite, animo firmato, vosque fidei, humanitatisque futuri eritis benemeriti. Ad omnia, et semper ero vobiscum. Numquam cessabo a votis, precibusque; Deumque omnipotentem, qui regit, et moderatur cuncta, qui est Pater misericordiarum, qui intonuit: *Portæ inferi non prævalebunt*, de mane usque ad vesperam obsecrabo.

Invocemus ergo Sanctum Divinum Spiritum, puroque corde clamemus: *Veni Sancte Spiritus*, veni in corda nostra, et nos doce facere voluntatem tuam,

quæ est sanctificatio nostra. Scimus Apostolis, discipulisque, in Cænaculo congregatis, *facto repente sonitu* Te desuper venisse, et, cælesti flamma ad instar linguarum dispertita, erudivisse illos imperitos, et fecisse disertos, ut novis uterentur vocibus in Evangellii pacis promulgationem. Simili modo nobis his auspicatissimis Pentecostes diebus consulto hic sedentibus, non *cum impiis in Concilio vanitatis, sed in Concilio justorum*, desuper, quæso, adesto, quo Ecclesiæ disciplinam, humanoque generi, pacem restituere possimus. Tuque, vigro Mater, sis præsto tua sapientia, potentia, misericordiaque. Et tu mirabilis, et præstantissime Patrone sancte Antonine, intercede pro Nobis, et quoadusque hic pro Synodo extamus exora Deum, ut gratiam suam impertiat, quo recte dicturi simus quidquid expediat disciplinæ firmandæ; quidquid prosit Catholicæ Ecclesiæ, et præsertim huic Nostræ Diœcesi, et ita una glorificamus Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum in sæcula. Amen.

ORATIO

HABITA IN 2.ª SESSIONE A REVERENDISSIMO DOMINO

RAPHAELE PURPO

CANONICO THEOLOGO ECCLESIÆ CATHEDRALIS.



Sanctissimam illam fidelium Congregationem a Domino nostro J. C. institutam, quæ ipsius Ecclesia perpetuo nominatur, in eadem semper, ac firma agendi ratione perstare compertum plane est, ac exploratum. Quis unquam eam a suis declinare principiis aliquando vidit? Etiamsi annorum numerus prætereat, et temporum ætas, et morum conditio vario succedant cursu; licet demum a Gente una ad aliam hæc ipsamet Ecclesia sæpe transeat, et ab aliquo civili populo ad asperas nationes, atque dissitas iter faciat, primævos sui ipsius mores nequaquam mutat. Ipsemet Divinus Spiritus, qui in sua natura immutabilis est, eamque regit, hoc ei divinum indidit signaculum, genioque exornavit.

Fundamenta Ecclesiæ disciplinæ Dogmatum indoli, ac naturæ quam maxime accedunt. Hæc quidem, utpote quæ ab ore incarnatæ Sapientiæ prolata, eadem perpetuo permanent: Illa vero, quia ab Apostolis sum-

mis, ac primis totius Ecclesiæ Doctoribus manant, interire nequeunt; necessariam enim cum illa Constitutione, quam Jesus Christus in Ecclesia sua posuit necessitudinem habent.

Amplissimus hic conspectus vester, venerabiles Fratres, convenientes penes Archiepiscopum vestrum ad deliberandum de spirituali animarum bono hujusce Diœcesis; ad melius in aliqua re instituendam Ecclesiasticam Disciplinam, quæ nonnihil a sua Dignitate abscessit; ad Sacramentorum protegendam Sanctitatem adversus id omne, quod illis obesse possit, tum per indignas ministrorum manus, cum per iniquos suscipientium mores; denique ad venerabiliora, atque cariora reddenda omnia Religionis officia, melioribus sancitis ordinationibus, magisque pietati consonis, hoc profecto, inquam, nihil aliud est, quam antiquissimus mos, atque saluberrimus Catholicæ nostræ Religionis, qui ab Apostolicis temporibus ad nos usque, veluti per manus transmissus devenit; etenim incessanter ea, quæ graviora Religionis erant, et ad illius majestatem pertinebant, quæque disceptatione, et examine magis digna erant Synodalibus Conventibus sancita, et extricata sunt.

Mos hic (sine dubitatione aliqua dicam) certe Dignitatem Sacerdotii vestri amplificat; populi Doctores vos constituens; characterem commendat; spirituales fidelium medicos vos ipsos creans; demum intentionis vestræ puritatem ostendit, qui Difensores Christianarum legum agnoscimini.

Vos formam exhibetis septuaginta duorum Disci-

pulorum, qui juxta Christi præcepta in Antistitis vestri persona se exhibentis, utique excurrentes prædicabant dicentes: *Appropinquavit in vos Regnum Dei.* Qvin imo, si rem volumus altius repetere, vos agnoscam in septuaginta senioribus, qui Moysi auxilio dati sunt ad Israelem regendum, ideoque de ipso Moysis spiritu participes facti.

His igitur de vobis tam magnifice consideratis; ac tam antiqua, ac venerabili inspecta consuetudine Synodalium Congregationum in Ecclesia fideliter custodita, ad perficiendum difficillimum regimen animarum, quantum apud vos non solum, sed apud cunctos homines adprobandum, imo commendandum erit sanctissimum Pastoris vestri propositum, qui propere huic Dioecesanæ Synodo adesse vos jussit, quo vestris uteretur consiliis, ac studiis? In his profecto Synodalibus cœtibus Pastoris vox altius, vividiusque in fratrum suorum consacerdotum se ingerit animos, ac celeri conformitate universum pervadit gregem. Salutaria Statuta præstantiori maturitate, ac soliditate decernuntur, quatenus consiliis vestris adjuvantur. Egregia ipsius studia ab illustriori societate comministrorum suffulta, majori perfectione clarescunt, sicque fiet, ut id ad quod ordinati estis, magnopere consequamini. His profecto firmiter hoc tenet in animo, ut inter vos, non tanquam Dispoticus, sed ut omnes cogitationes suas, atque opera communicaturus adsit, ne ejus regimini non gravemini solum, sed potius delectemini. Is flagrandissime animarum exoptat salutem, sed vestro efflagitat zelo, ac consiliis adjuvari.

Hoc sane zeli studium ad vos ipsos referri in primis necesse est, si ulla postulabit necessitas, quantus enim non esset animi dolor, ac cruciatus, si spirituales labores vestri aliis profectui essent, vobis vero nullo? quin imo quis credet vestros hos labores aliis saluti futuros, quoties ex infirma prodeunt radice? Qui poterit manus illa proximorum mederi vulneribus, quando horribili scatet sanie? Quisnam super aliorum corda, ne putredine tabescant, Evangelicum infundet salem, quando cor fœda retinet putredine dissolutum? Hujusmodi medentem manum maximopere aufugiet peccator, horrebitque, et si talis notæ sacerdotes satagent fidelium attrectari vulnera, quo remedium afferant, quis non verebitur, ne venenoso, ne mortifero pravitatis exemplo occidant? Jure igitur, meritoque lamentationibus, questibusque miserrimis universum sane orbem complebat Greg: Mag: dicens: *Nullum puto, fratres carissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.* Iisdem certe referenda sunt Christi Salvatoris nostri verba: *Medice, cura te ipsum; nam dicunt, et non faciunt;* etenim, ut optime laudatus summus Pont: adjungit; *plerumque susceptæ benedictionis Ministerium vertimus ad ambitionis argumentum: Dei causam relinquimus; ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur.*

Quare severiori in nos inquirendum est judicio; nobismetipsis præcipue gravioris disciplinæ regulas indicemus, ut improbum illud naturæ nostræ vitium negligentiæ, quo quidem nequaquam per Sacerdotalem characterem liberamur, sed ad pejora semper impellimur, hoc sancto, et salutari legis fræno undique cohibeatur. Studeat unusquisque vestrum, diligenti studio, perscrutari quid quid emendatione dignum erit, caveatque quam maxime, ne in tam gravi negotio negligens fiat, aut edicere, ac libere prætereat exponere, quod vel Religionis majestas, vel fidelium salus expostulare videatur, posthabito quocumque minus recto fine, nostraque pæculiari utilitate, quam alacriter publicæ rei bono subijciamus.

Enim vero libentissime fatemur nihil esse, quod ab antiquis Ecclesiæ Canonibus, et Synodalibus Constitutionibus non prævisum, non expositum, non judicatum sit, imo sæpe sæpius repetitum, ac injunctum; sed cum ea sit miseranda hominum conditio, ut jugiter negligentiæ serviat, necesse est vetera disciplinæ jura, morumque præcepta novis, ac validioribus præsidiis aptissime corroborari, atque firmari. In illud præcipue studium omne vestrum, ac diligentia excellat, ut fideles ea omnia, quæ ad suum spirituale bonum pertinent, probe calleant; siquidem fides fundamentum est, ac salutis principium; quapropter ea supra cæteras Christianorum res oportet illibate custodiatur, neque corruptis sæculi Doctrinis attemperetur, aut quibusdam damnabilibus additis, vel tantulum

fœdetur. Quare vobis præclarissimas Constitutiones ad externam fidei professionem dirigendam quam maxime proprias, præcipuo loco exhibentur; ea enim persuasio infixa animo vestro sempiterna esse debet, districtam animarum, quarum curam suscepistis, rationem vobis esse reddendam, si earum quælibet vestra, vel negligentia, vel malitia sit peritura; scriptum est enim: *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

Utinam ille Spiritus veritatis, qui in medio Ecclesiæ suæ residens cuncta gubernat, ac movet, certo præstet, ut Pastoris vestri, cujus studia sequimini desiderium omne perficiatur, præstante Domino nostro Jesu Christo, de cujus ore certa nobis facta est promissio: *ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

ORATIO

HABITA IN 3.ª SESSIONE AB EODEM REVERENDISSIMO DOMINO

RAPHAELE PURPO

CANONICO THEOLOGO ECCLESIÆ CATHEDRALIS.

Cum denuo hoc tam summo, atque inexplicabili videor honore auctus, ut excelsi animi tui, Illustrissime, ac Reverendissime Præsul interpres fiam, simulque exponere cogar imos mentis meæ sensus, quibus commoveor, dum in vos, venerabiles Fratres, oculos inijcio, nimis oppressum me benevolentia, ac magnitudine rei agendæ perturbatum, quam antea sentio. Aperta insuper jussio, ut brevis in dicendo sim, resque gravissimas, de quibus nulla satis esset disserendi copia, oratione perstringar, hoc profecto est, quod prosternit animum, dejcitque omnino. Quare sine mora dicam, quod huic tanto, ac tam præclarissimo conventui omnium vestrum advertens, summa gestio lætitia, videns vos alacri animo, atque concordi sententia, quidquid per Pastorem vestrum constitutum sit plenissime comprobare. Vos enim ipsi ultro fatemini, eam esse istorum naturam præceptorum, ut nihil in istis, quod purioris Ecclesiasticæ Disciplinæ

proprium sit, ac integerrimæ morum regulæ non abunde inveniatur. Enim vero quænam unquam ad clericalis vitæ majestatem, novo veluti quodam splendore exornandam desiderari poterant, præter ea, quæ in hoc tam venerabili Codice Synodalium Institutionum continentur? universa siquidem, quæ hic Decreta sunt ad purissimam accedunt primorum Ecclesiæ temporum sanctitatem.

Dum hæc contemplo, illico recordor Apostolicæ illius comparationis, qua illustris Ecclesiæ compago pingitur. *Corpus unum est, et membra habet multa* (1). Videte quomodo contexta, quo ordine alligata, et disposita sunt: singula proprium tenent locum; specialem structuram exhibent, diversisque inserviunt officiis. At vero quantumvis præcellens sit membrum aliquod, nisi consocietur aliis, nequaquam corpus humanum, sed ens tantummodo sine significatione indicabit. Addendum his, quod si quid discriminis illorum unum patiatur, hoc eodem alia tanguntur simul, imo reliqua omnia membra perpetuo agitantur, sollicitaque industria illi, quod infirmatur manum porrigere satagunt: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*: nil ipsius Pauli verbis elegantius.

Quid inde? *Ita et Christus,* inquit Apostolus. *Vos estis Corpus Christi, et membra de membro: Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos; secundo Prophetas; tertio Doctores.* Aposto-

(1) 1. ad Corinth. cap. 12 v. 12.

lorum successores Episcopos esse dicere non dubitamus, eo quod tanquam caput in corpore sint, cui regendi officium est. Ast vos, venerabiles Fratres, Doctoris locum in hoc spirituali corpore tenere quis neget? Vestrum enim est aliorum membrorum motus quoslibet dirigere; ordinare, componere. Quamobrem quis prohibet vos Ecclesiæ Christi oculos nominem? Siquidem tanta vos potestate præditos esse video, ut quorumcumque fidelium invigilare semitis oporteat, cunctaque pericula, quæ in hac tam ardua, ac prærupta via sæpe inveniuntur, accurate prænoscere, ac fideliter præmonstrare datum sit. Quod si eorum forte aliquis justitia decidat, quid consilii capiendum, quaque via a tam gravi casu evadendum vestri officii erit ostendere. Demum super vos omnis cura incumbit, ut mortifera a salubribus pascuis Christiani omnes internoscant: O præclarissima dignitas! O venerandum officium, ut tam digno loco in Corpore Christi collocari mereamini! Verum oh dolor! Tenuissima res quidem est oculus, sed quam perturbatu facilis! Quam venustum, fædissimus tamen evadit, si tantillum ruptus fuerit, aut vulneratus! Quis tam præstans? Ast nihil exitiosum magis, quando obscurabitur.

Sincero animi gaudio, lectissimi Fratres, vos mystici Corporis Christi oculos nomino; sed quanta simul, postquam pronuntiaverim, cordis trepidatio subsequitur! Quæ de oculo potissimum edixit Christus in Evangelio adeo timenda sunt, ut sempiterno pavore contremiscat animus: *Lucerna*, inquit, *corporis tui est*

oculus tuus ; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si tempus mihi liberum foret abunde vobis ante oculos subijcerem quanto Christi Ecclesiæ spirituales hi oculi, cum infirmantur, damno sunt, ac calamitati. Hoc unum satis dicere sit cæcos innumeros gigni, cum illi cæcitate feriuntur, juxta illud Christi : *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt*. Quantum cædis, et ruinæ non persentiunt reliqua corporis Christi inferiora membra propter oculorum obscuritatem? Tum præsertim, cum dignos Sacramentorum susceptione faciunt, quos indignos esse constat, quod majori quidem crimini vertendum est, si illi Sacramentorum susceptores sint in habitu gravo confirmati, vel in malum recidivi, antequam justo, ac rationabili experimento probati sint, magnaque spes affulgeat cor durum iri sanatum.

Porro hoc etiam in humano corpore evenit, ut omnia reliqua membra communi ardore excitentur, si aliquod illorum patiatur. Hæc est præcipue Synodorum causa. Nam non aliud illa, quam corpus exhibent, quod unanimi motu se excitat, quo morbum alicui membrorum inhærentem expellat; qui quidem si oculum affecerit, qui omnium tenerrimus est, majori sane nisu reliqua membra sollicitudinem exhibebunt. Universa historia præteritorum Ecclesiæ temporum certiores nos facit primas inter Synodorum curas eam potissimum semper fuisse, ut Clericalis vita quam omnibus antecellere necesse est, per salutarem correctio-

nem, ac reformationem novo augeatur honore. His in Synodis mystici Corporis Christi membra ita inter se coeunt, ut quemadmodum omnes cujuslibet circuli lineæ ad punctum unum conveniunt, hæc quoque suo spirituali se capite approximant. Quare fit, ut membra capiti, adhærentes Episcopis Sacerdotes, omnes de infirmitate deliberent, deque remediis decernant. Tum ab ipso Capite motus erumpens per singula se membra diffundit, ita quidem, ut cuncta deinceps experrecta, ac inter se invicem exagitata, incredibili virtute agant, ac moveantur. Hinc omnis in consensu profectus; in conformitàte agendi fortitudo; in concordia exequendi hilaritas, ac æmulatio; in adipiscendo fini securitas amplissima, ex quibus quanta oriatur et fidelium utilitas, et ordinatio rerum; et religionis pulcritudo; et Sacrorum rituum majestas; et Clericalis ordinis gloria nullus est, qui ignoret.

Quapropter æternas Tibi referemus gratias, dulcissime Antistes, Te enim adnitente, cuncta hæc nobis a Deo expectamus, certoque confidimus obtinere. Tu istic sedes, tanquam inter Filios Pater; uti Primogenitus inter secundos Fratres; Ipsi et zelo Tibi comparantur, et voluntatis puritate; et laborum fortitudine, quos pro animabus sibi commissis assidue explent. Utinam præsentia Tua sit continuo illis exemplo; Tuum pro Sancta Religione studium incitamento; demum vox tua inter ipsos, tanquam dulcis vox Christi sonet, qua inter Apostolos utebatur.

Verum ad Te præcipue vota nostra, humilesque

obsecrationes, Superne Spiritus, totius Ecclesiæ perennis anima afferuntur, ut hunc in Tuo Sancto nomine convenientem Sacerdotum cætum sanctificare digneris, illorumque animas puritate illustres; corpora castitate exornes; mentem Sanctis consiliis fulgentem benignus reddas; fiatque demum, ut per te bona cuncta explere, et ad coronam meritorum pervenire mereantur. Amen.

CONSTITUTIONES, ET DECRETA

PRIMÆ DIŒCESANÆ SYNODI AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

GABRIELE PAPA
ARCHIEPISCOPO SURRENTINO

CELEBRATÆ

ANNO DOMINI MDCCCXXVII.

In nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Nos Gabriel Papa Divina Miseratione, et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Surrentinus.

Ad Dei Omnipotentis, ac Deiparæ semper Virginis Mariæ, et S. Antonini Abbatis hujus Civitatis primi, ac maximi Patroni, aliorumque omnium Sanctorum hujus Ecclesiæ Præsulum, ac Patronorum honorem, laudem, ac gloriam sempiternam, pro ea, qua potimur auctoritate, ac Pastorali in gregem nostrum dilectissimum vigilantia, et charitate, hæc, quæ sequuntur in hac prima Nostra Diœcesana Synodo, legitime congregata, mature, diligenterque discussa, et perpensa perpetuo servanda statuimus, decernimus, et publicamus. Eundem Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum humiliter deprecantes, ut quæ ad Divini cultus augmentum, Ecclesiarum nitorem, ac venerationem; ad laudabilem Cleri nostri disciplinam, et fidelium omnium, quos paterna cura Nostra complectitur, salutem, et morum reformationem stabilienda cognovimus, ab omnibus, et singulis servari præcipimus inviolabiliter, ipsius adjuvante gratia.

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Fidei professione.

1. Præcipua Religionis Nostræ Dignitas, atque excellentia in fidei unitate continetur; hæc enim Illam omnes inter errorum sectas conspiciendam reddit. In omnibus symbolis, quibus Ecclesiam Suam Christus Jesus præfigurandam voluit, nonnisi unitatem legimus, nitideque intuemur. Idcirco Apostolus unitatem, velut prædicationis suæ fundamentum primum agnovit, dicens: *Unus Deus, una fides; unum Baptisma* (1).

2. Jam vero fides non in corde solum fovenda est, sed exterius manifestam fieri omnino convenit; primum enim, ac præcipuum vinculum, quo membra mystici Corporis Christi inter se copulantur fides est; quæ sane membra utpote natura sensibilia, sensibilibus quoqe signis jungi inter se necessarium est; ideo ne Divini hujus Thesauri custodia, cui addicimur, aliqua ex parte negligatur, volumus, ut omnes de Clero, qui in hac Synodo intersunt, Secretario professionem fidei, juxta formam Constitutionis Pii IV (2) alta, et clara voce recitante, publice emittant, singulique repetant ad verbum.

(1) Ad Ephes. Cap. IV. v. 5.
(2) Constit. Injunctum nobis 89.

3. Hanc eandem professionem intra bimestre a die captæ possessionis in manu nostra, vel Vicarii Nostri Generalis coram Capitulo emittere teneantur quicumque Dignitates, et Canonicatus in Cathedrali Nostra obtinuerint. Item intra idem tempus quicumque Beneficium sunt consecuturi, cui animarum cura adnexa sit. Quod nisi fecerint, neque fructus faciant suos, neque illis possessio suffragatur.

4. Porro hæc sæva temporum nequitia, in quibus omni conatu, atque audacia fides nostra impetitur, ut fideles, illa projecta, ac proculcata, naturalem tantummodo Religionem, quæ ad salutem minime sufficiens est, sibi fingant, omnium animarum Rectorum ad hoc incendere debet animum, ut Christiani nihil de iis, quæ ad Mysteria Religionis spectant, quæque præsertim in Symbolo Apostolorum continentur, ignorent; ideo omni patientia illos edoceant, vehementissimeque hortando demonstrent quantum sit hujusmodi cognitio ad salutem necessaria, et quantam gloriam Divinitati præstet humilis hæc, atque firma fidei professio.

5. Maxime autem Confessariorum opera hic opus est; ipsi enim simulac animadverterint, sibi confitentes, prædictorum ignorantia teneri, omnino absolutionem suspendant, illosque interim paterne instruere non omittant, ne participes sacrilegii sint.

6. Aliquo tantum indulgentiæ beneficio erga illos uti poterunt, qui intime de negligentia sua dolentes, sincero corde promittunt, se quam citissime curaturos

edoceri illa, quæ secundum omnium Theologorum placita unusquisque fidelium scire omnino debet, præterquam si ignorantia illorum versetur in duobus præcipuis fidei Nostræ Mysteriis, quæ necessaria necessitate medii alias nominantur; tunc enim Sacramentalem absolutionem nullius virtutis esse nemo ignorat.

7. Insuper cum fallax sæculi nostri philosophia omni machinationum genere, et dolo nequissimas doctrinas in fideli populo spargere nunquam desinit, incessanti studio moneatur, ne illam ullo modo auscultet, sciens ipsius sermones, tanquam cancer, qui omnia paulatim devorat, fidem extinguere. Hinc unumquemque fidelium certiorem reddant sui muneris esse, ut quidquid contra fidem ab hujusmodi male feriatis hominibus audierint, illico nobis deferendum esse, ut primum in visceribus charitatis eos admonentes; deinde interposita nostræ auctoritatis efficacia, in ortu ipso flagitosissimus error extingui possit.

8. Ea etiam erit Parochorum cura sæpe monere populum sibi commissum, scilicet verbum quodcumque, aut sermonem, vel etiam signum contra fidem expressum, etsi nullo audiente, aut vidente, maximum non solum crimen esse, verum etiam eos, qui eodem rei sunt gravissimis percelli pœnis, et præsertim excomunicatione summo Pontifici reservata, a qua, ne per nostram quidem auctoritatem absolvi queunt, nisi specialiter a Sede Apostolica indultum sit; experientia enim edocemur plurimos esse, qui in hæc nefanda crimina labuntur, eo quod nunquam de illius

malitia, et gravitate audierunt; neque poenas illud comitantes noverunt.

9. Pari simul frequentia edicent Parochi gravi peccato, et plerumque etiam censuris obnoxios esse, qui libros ab Ecclesia prohibitos legunt; quapropter fidelem populum contra hæc flagitia præmunire volentes, omnes, ad quos populi Christiani instructio pertinet, enixe hortamur, ut omni perspicuitate illi exponant ea omnia, in quibus, veluti fundamentis, Religionis nostræ veritas innititur, quæ alii motiva credibilitatis appellant; uti sunt miracula; numerus, et fortitudo martyrum; sanctitas Doctrinæ, etc. Id enim efficiet, ut fideles, non solum in fide stabiles reddantur; sed etiam *parati erunt reddere omni poscenti rationem de ea, quæ in ipsis est, spe* (1).

CAPUT SECUNDUM.

De prædicatione verbi Dei.

1. Quoniam prædicatio verbi Dei est præcipuum Ministrorum Christi munus, testante Apostolo: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare* (2) et in Actis Apostolorum legitur ipsis persuasum, cætera mynisterii sui officia tuto relinquenda esse, ut orationi, ac ministerio verbi instantes essent (3), id-

(1) I. Petri Cap. III. v. 15.
(2) 1. ad Corinth. Cap. I. v. 17.
(3) Act. Cap. VI. v. 4.

circo, etsi hilari simus animo propter frequentiam, qua hac in Nostra Diœcesi verbum Dei prædicatur; attamen maxime sollicitos esse testamur, ut hoc verbi Divini pabulum ab omnibus Parochis, et Prædicatoribus diligentissima prudentia, ac judicio dispensetur fideli populo, eodemque modo, ac cibus corporalis, scilicet infantibus tanquam lac; rudioribus vero adultis, tanquam cibus comunis, ita ut, dum difficillima hujus doctrinæ substantia traditur, claro tamen eloquio, et imperitis in omnibus accommodato, dispensatur: Doctioribus demum digne, ordinatim, ac præclare quidem prædicetur; ast nullo modo fucato verborum ornatu frangatur, quo dum oratio expoliri putatur, magis Divini verbi pulchritudo deprimitur; qua de re Apostolus ajebat, nolle se prædicare in *sapientia verbi, ut non evacuetur Crux Christi* (1).

2. Omnes, qui debita destituuntur scientia Doctoris officium, et prædicationis munus non adsumant; hinc neminem prædicare jubemus, etsi in ruralibus id fiat sacellis, nisi prius veniam a nobis impetraverit. Summopere caveant prædicatores ab iis narraudis, quæ neque scripturarum testimoniis, neque sanctorum Patrum doctrinis, neque comuni Doctorum sententia innituntur: Nec unquam ea edicantur, quæ vix in pio aliquo authore inveniri possunt. Miracula etiam, quæ in quibuscumque libris conscripta reperiuntur inhibemus, ut tanquam vera venditentur; sed ea tantum-

(1) 1. ad Corinth. Cap. I. v. 17.

modo afferantur, quæ a probatissimis auctoribus evulgata sunt.

3. Ultimo loco Prædicatores omnes admonemus, ut nunquam tam præclarissimum opus edocendi populum adsumant, nisi ferventissimis antea precibus, et lacrymis, super se ipsos, et eos, quos docturi sunt divinam exposcerint gratiam, idque illis unice curæ sit, ut, quod ore prædicant, exemplo corroborent, ne ipsis indicendum sit: *Medice cura te ipsum* (1).

4. Iam vero cum maxime Religioni intersit, ut quidquid in Ecclesia agitur, ordinate fiat, ex hoc enim magna ex parte utilitas omnis emanat, præcipimus.

Primo, ut omnes Parochi, vel curati omnibus diebus Dominicis, ac Festivis solemnioribus intra Parochialem Missam, Evangelio lecto, illud explicare populo non omittant, perspicua quidem methodo, sed gravi, ordinata, ac digna, quæ apta sit ad auditorum animos virtutum omnium amore inflammandos, justo Dei timorem concutiendos, et ad cuncta fugienda vitia disponendos.

Secundo, ut semel saltem in singulis mensibus ovibus suis explicent naturam, valorem, fructus, ac etiam cœrimonias, quæ in admirabili Missæ Sacrificio continentur, et quibus potissimum animi dispositionibus sacrificio huic interesse debent, ut uberrimos fructus illius percipere possint.

Tertio, ut in eadem Missa, antequam inchoetur,

(1) Luc. IV. 23.

vel post missam peractam, Parochi ante altare genuflexi, alta, et intelligibili voce recitent, populo similiter ad singula verba respondente, Actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis. Verum, ut in re tam necessaria nihil sit, quod rudiores, et ignaros impediat, quominus hosce actus apprime calleant (nam varietas vocum iisdem semper nocet) districte præcipimus etiam, ut Parochi omnes, quacumque dignitate præditi sint, vel ætate, vel qui eorum vices tenent, dummodo publice, et coram populo hos præfatos actus recitant, nulla alia utantur formula ab illa, quam Nos perscribemus inferius num. 8; quod, ut adamussim fiat, omnino volumus, ut hi ex Tabella aliqua apposite constructa legantur ad verbum, ne syllaba quidem prætermissa, vel mutata; declarantes Nos adversus transgressores, etiam per censuras animadversuros.

5. Eo quod vero multus est in Diœcesi Nostra Ecclesiarum, et Cappellarum numerus, fit sæpissime, ut ruriculæ præsertim, et ignari, quibus maxime referret Parochi Missæ interesse (quod pluribus antiquioribus Synodis sancitum scimus, et aliquando sub censurarum pœnis) illam evitent, non sine gravi animarum suarum periculo, nos præsentis Ecclesiæ disciplinæ plane memores; sed de iis pariter solliciti, quæ ad animarum salutem magis conferunt, ut omnis ignorantiæ causa negligentibus quoquomodo præpediatur, sequens orarium in universa Diœcesi Nostra servari volumus, quoad Parochialis Missæ celebrationem in

Dominicis diebus, et festivis de præcepto, quod vulgari sermone subnectimus hic.

ORARIO DELLA MESSA PARROCCHIALE.

Dal 1. Gennajo fino agli 8 Febrajo si celebrerà la Messa Parrocchiale un ora dopo l'alba.

Dalli 9 Febrajo fino a 15 Marzo un' ora, e quarto dopo l'alba.

Dalli 16 Marzo fino a tutt'Aprile un'ora, e mezza dopo l'alba.

Dal 1. Maggio fino a tutto il detto mese due ore dopo l'alba.

Dal 1. Giugno fino a 6 Luglio due ore, e mezza dopo l'alba.

Dagli 8 Luglio fino a 5 Agosto due ore, ed un quarto dopo l'alba.

Dalli 6 Agosto fino a 12 Settembre un' ora, ed un quarto dopo l' alba.

Dalli 13 Settembre fino a 12 Ottobre un' ora, ed quarto dopo l'alba.

Dalli 13 Ottobre fino a 4 Novembre un'ora, ed un' quarto dopo l'alba.

Dalli 5 Novembre fino a tutto Dicembre un' ora dopo l' alba.

In tutte le altre chiese potranno uscire le Messe tre quarti d'ora dopo il predetto orario.

6. Quoniam autem fieri poterit, ut sacerdos aliquis gravi urgente causa, præfatis diebus, vel ante Parochi Missam, vel eodem simul tempore ad celebrandum adigatur, id fieri posse permittimus, dum-

modo Parochi ipsius venia præcesserit, et nullo campanæ sonitu populus moneatur. Idem etiam præstandum edicimus in Ecclesiis Monialium, etiamsi conservatorii sint.

7. Tam vero magnum est in his temporibus negligentiæ vitium, ut vix possit, studiis omnibus, in multorum animis propriæ salutis excitari amor; idcirco Nos nihil intentatum relinquentes, ut quoquomodo ignorantiæ occurratur, hæc alia præscribimus.

8. In omnibus Ecclesiis, sive publicis oratoriis, tam urbanis, quam ruralibus, Ecclesiis Monialium non exceptis, sacerdos primam Missam celebraturus, diebus Dominicis, et festivis de præcepto post sanctam Missæ actionem expletam, vel antequam inchoetur, prout sacerdos ipse congruentius judicabit, alta, et clara voce recitabit, populo ad singula verba respondente, quæ sequntur, videlicet signum Sanctæ Crucis; Mysteria SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi: Symbulum Apostolorum: orationem Dominicalem; salutationem Angelicam; præcepta Decalogi; præcepta Ecclesiæ; septem Sacramenta, et actus fidei, spei, Charitatis, et contritionis, quibus Divinitas sincero cultu adoratur. Hæc omnia recitari volumus, juxta formam contentam in libello Doctrinæ Christianæ editæ ab Eminentissimo Cardinali Bellarmino, nihil de ipsius verbis immutantes, rudium commodo, quod, ut perfecte exequatur, ex Tabella in qua ea omnia descripta sunt, ad verbum recitabunt, sub pœna suspensionis, in quam incurrere poterunt, qui aliter facturi sunt.

9. Parochi omnes, et Cappellani cæterarum Ecclesiarum, vel cujuscumque publici oratorii, in prima Missa, Dominicis diebus, annuntiabunt populo dies Festos de præcepto, qui forte in Hebdomada occurrent, nec non jejunii dies ab Ecclesia præscriptos, et præcipue adstantes edoceant, quis eorum finis sit, et quanta necessitae adimplendi. Qua de causa renovamus, novoque robore confirmamus edicta omnia, quæ dignæ memoriæ Prædecessores Nostri ediderunt, præsertim quoad piscationem.

10. Itidem Dominicis diebus, post prandium, circa horam vigesimam secundam Catechismum populo habebunt, in quo tradendo his potissimum argumentis se continebunt, quos hic subijcimus, simulque ordinem a Nobis positum servabunt. A die 1. mensis Januarii usque ad Pascha Domini, Ecclesiæ Sacramenta explicabunt, et maxime in duobus Sacramentis Pœnitentiæ, et Eucharistiæ morabuntur; deinde edocebunt fideles Symbolum Apostolorum, et præcepta Decalogi, et ea omnia, quæ in Cathechismo Romano continentur.

11. Omni demum, qua possumus animi vehementia, Parochos hortamur, ut omnibus blanditiarum, ac urbanitatis modis cæteros Sacerdotes, qui ad hoc idonei erunt, alliciant, ut cum ipsis in hoc ministerio verbi adlaborare conentur; tædet enim idem semper vocis sonus; hoc namque est humanæ naturæ vitium, ut præstantissima quæque fastidium faciant, si semper repetantur.

CAPUT TERTIUM.

De Doctrina Christiana.

Parvulorum instructio, quæ nullius apud Mundanarum rerum extimatores est momenti, longe Dei, et Ecclesiæ judicio præstantior est, atque salubrior. Illud in memoria sæpe vertent Parochi Dominum nostrum J. C. illorum præ cæteris quæsisse consortium, dicens: *Sinite parvulos venire ad me* (1). Exquisitissimum Religionis semen, nonnisi primis ætatis temporibus spargi expedit; cum enim vitia in cor, nullo prius collucente veritatis splendore, se inseruerint, adeo illud corrumpunt, ut spes curationis nulla effulgeat. Hinc omnes animarum Rectores quæcumque a Sac. Synodo Tridentina hac de re sancita sunt, curent accuratissime præstare (2). Quare nos sequentia edicimus.

1. Non pudeat omnino Parochos per se ipsos ad puerorum instructionem incumbere, diligenterque observent utrum hi, qui eos in tam præclaro adjuvant ministerio recte id præstent.

2. Cum hæc tanta pastoralis curæ pars a Parochis non possit ex integro, et assidue præstari, ubi præsertim ingens est parvulorum numerus, monemus Sacerdotes omnes, et precipue juniores, ut Parochis

(1) Marci Cop. X. v. 14.

(2) Sess. XXIV. Cap. 4. de reform.

in hoc tam salutari, præstantissimoque officio facile adjutorio sint. Quapropter Parochi ipsi, unoquoque Mense, qui in eo munere laudabilius, et frequentius detinentur Nobis accurate deferant, ut eorum, quorum merita præcellunt, abundantius remuneremur, et pari modo quamlibet amplectemur occasionem animadvertendi in eos, qui iis deficientes, quæ ordinibus initiaturi, in Ecclesiæ commodum se præstituros spoponderunt, Nostra neglexerint hortamenta. Propterea id eos omnes scire volumus, nunquam Nos ad Confessarii munus, aut ad prædicationis officium missuros, nisi hac in re diligentes admodum inveniantur.

3. In omnibus Dominicis, horis pomeridianis, hæc puerorum instructio omnino peragatur. Parochus, vel alius Sacerdos, præcedente aliqua Cruce, præcipuas loci vias excurret, pueros convocandi causa. Identidem stropham unam, vel alicujus Sacræ Cantiunculæ cantabit, vel Lytaniæ Lauretanæ.

4. Verum, quoniam pueri durioris ingenii sunt, neque rem ullam plerumque addiscunt, si diversæ adhibeantur verborum formulæ; ideo omnibus Parochis districte præcipimus, ut tot provideantur libellis Doctrinæ Christianæ, juxta methodum Car: Bellarmini, quot Instructorum numero satis erunt, ut ita simili omnino modo, ac ratione a cunctis præstetur.

5. Præterea omnes, qui in hoc officio laborant, cujuscumque Dignitatis sint, atque ætatis, utantur supradicto libello, juxta methodum Bellarmini, nullaque detenti vana erubescentia, quæsitus omnes per-

fecte, secundum auctoris verba, faciant, pariterque a pueris ipsis, pari, et constanti semper formula exigant: Confidemus enim brevi tempore futurum, ut pueri, hac erudiendi adhibita ratione, perfecte instructi inveniantur. Qua de causa proponimus, quam sæpissime inquirere, utrum a Nobis sancita teneantur, et observentur.

6. Iis, porro, qui majoris ætatis pueros erudiunt fas erit, postquam responsa omnia audierint, juxta formularii rationem, copiosius, et clarius, quæ in supradictis responsionibus dicta sunt exponere, ut illi, utpote majoris ingenii, etiam verborum sensum, quantum fieri potest, assequantur.

7. Tristis rerum experientia satis probat hujusmodi pueros propter perversæ naturæ corruptionem valde huic suo bono adversos esse, unde maxime adnitendum erit Parochis, quoties ad populum sermonem habebunt, præsertim in Parochiali Missa, ferventi zelo in eos invehi parentes, nec dum in eos omnes, qui pueros quoscumque suo famulatui addictos habentes, illos tam necessariis doctrinis destitui patiuntur, certioresque faciant nequaquam se Divinam ultionem evasuros, si in eadem negligentia perseveraverint. Iisdem persuadeant satis non esse pueris, ac puellis sibi subditis præcipere, ut Ecclesiam adeant, sed omnino opus esse ad id illos adigant; ad Ecclesiam ipsi comitentur, si aliquando recusant.

PARS SECUNDA.

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.

Sancta sancte tractanda sunt; ideoque Parochi, cæterique Divino Ministerio mancipati in conficiendis, administrandisque Sacramentis Rubricas a Rituali Romano, ac Missali præscriptas summa religione observent. Saltem bis in mense Rubricarum conferentias in collatione Sacramentorum observandarum habeant. Hæc in Ecclesiis extra necessitatis casum tantummodo administrari mandamus.

1. Quo magis Sacramentorum cultus, et devotio in animis Christiani populi exicitetur, et qua par est puritate illibata, ac veneratione summa ad illa suscipienda accedant fideles, optime factu esset, si Parochi persæpe, prout se se occasio offert, vel inter Missarum sollemnia, vel cum Sacramenta administrant, vel cum sermones populo habent, Sacrarum Cærimoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur institutionem, dignitatem, sanctioresque ipsarum significationes fideli populo explanare satagerent.

2. De interioribus etiam animæ dispositionibus, deque exteriori corporis habitu, aliisque ad Sacra-

mentorum susceptionem necessariis admonere fideles sibi commissos Parochi non detrectent, quo mulieres præsertim modesto, humilique ornatu, ac velato capite, non mendaci fuco, ac immoderata capitis, vestiumque pompa ad illa suscipienda accedant.

3. Ab omni avaritiæ, simoniæque labe, atque suspicione, quæ magnas Sacerdotali ordini tenebras offundit alieni sint Clerici; quapropter in administrandis, conferendisque Sacramentis nihil omnino, aut directe, aut indirecte etiam post ipsorum administrationem, recipiant, vel exigant, aut tanquam pretium, aut tanquam remunerationis debitum, præter voluntarie, et sponte oblatum; dummodo, etiam in hoc avaritiæ, simoniæque suspicio absit.

CAPUT SECUNDUM.

De Baptismatis Sacramento.

Cum omnibus necessitate medii necessarium sit Baptisma, parentibus, aliisque ad quos infantium cura pertinet præcipimus, ut pueris infantibus Baptisma non ad dies differatur, sed, quantocius fieri potest, conferatur. Gravi enim culpa illi se se obstringunt, qui eos Sacramenti gratia diutius, quam necessitas postulat carere patiuntur, præsertim, quia propter ætatis imbecillitatem, infinita pene pericula illis impendere experientia cognoscunt.

1. Si qui cogente necessitate infantes baptizave-

rint, præsertim ignari, sedulo perquirant Parochi formam, et ritum, quo baptizati fuere, et, si rite baptismum collatum certo constet, omissa suppleant; sin minus, repetant sub conditione.

2. Cum, Ecclesiis, vel Domi infantibus Baptisma confertur, campanæ sonitum omnino inhibemus, etiam posteaquam baptismum susceperint.

3. Ne quis error irrepat in Baptismi collatione, in casu præsertim necessitatis, Parochi partes erunt enixe inquirere, an obstetrices recte adhibeant materiam, et formam in collatione hujus Sacramenti, et an baptizandi ritum ipsæ probe sciant, ac servent.

4. Parochi bis in anno instituent examen obstetricum, erudiantque ipsas de modo recte respondendi in Baptismatis collatione, juxta præscriptum a rituali Romano, sine vocum corruptione.

5. Parochi in hujus Sacramenti collatione in omnibus habeant præ oculis statutum a rituale Romano, præcipue doceant patrinos de cognatione spirituali, quam contrhaunt cum baptizato, eorumque respective genitoribus, deque obligatione, quam habent erudiendi susceptum de baptismate, quoties parentes desint muneri suo, in fidei rudimentis, ac regulis morum.

6. Parochi post baptismi collationem parentes, atque nutrices admoneant, ne puerulos, qui ætatis annum nondum expleverint, secum in uno, eodemque lecto retineant, ne per incuriam suffocentur.

7. Universis, ac singulis animarum curam gerentibus districte præcipimus, ut summa cum diligentia

10

custodiant librum baptizatorum, atque statim post collatum baptisma denotent in eo baptizati nomen, et cognomen, ejus parentum, ac patrinorum cum distinctione diei ortus, et baptismi collati, ac cætera servent, quæ a rituali Romano sunt præscripta, nihil quæ ex eis omnino prætermittaut. Hæc omnia notentur per extensum, non numeris arithmeticis, neque lituræ irrepant.

8. Caveant omnino Parochi, ne baptizandis imponantur nomina fabulosa, ac inanium Deorum, vel Etnicorum, sed solummodo illorum, qui propter excellentem animi pietatem, eximiasque virtutes, et Religionem in Martyrologio sunt descripti quorum exemplis, fideles ad pie, virtuoseque vivendum excitari, ac pratrociniis sublevari possint.

9. Baptizatorum fides, si quæ a Rectoribus animarum conficiendæ sint, mandamus esse uniformes in tota nostra Diœcesi, et juxta rubricam ritualis Romani, ac latino sermone exaratas esse volumus, aliter reicientur, quando ad usum nostræ Metropolitanæ Curiæ pertinent.

CAPUT TERTIUM.

De Sacramento Confirmationis.

De hoc Sacramento meminerint omnes verba Benedicti XIV. *Monendi sunt ab ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri si, cum possunt, ad confirmationem accedere renuunt, ac negligunt* (1). Ex quibus clare eruitur, hoc Sacramentum recipiendum esse sub gravi. Parochis ideo, animarum curam gerentibus, mandamus, ut hujus Sacramenti naturam, vim, dignitatem, salutares effectus, necessariasque ad illius rectam susceptionem dispositiones sæpe sæpius explicent, ut omnes, præsertim ignari, qui hoc in Sacramento suscipiendo, dissoluta quadam negligentia, et cunctatione utuntur intelligant, illud non modo non negligendum, aut nimium differendum, verum ardenti animo etiam maximopere expetendum.

1. Sint saltem annorum septem expletorum, non septennio minores, absque gravi necessitate, suscipere volentes hoc Sacramentum; sciant rudimenta fidei, et omnino conscientiam, prius per Sacramentalem confessionem emundent.

2. Curent Parochi, ut Patrini ejusdem sint sexus, majores natu iis, quos in confirmatione tenent, simulque hoc Sacramento præcedenter insigniti, et di-

(1) Bened: XIV. Bulla. Etsi Pastorali Tom. 1. ord. 57. §. 3. n. 4.

versi ab illis, qui confirmandum e sacro fonte levarunt; simulque edocebunt inter confirmatum, et Patrinum, eorumque invicem parentes spiritualem cognationem contrahi.

3. Parochus fidem idonietatis confirmandis, dummodo sint apti ad hoc Sacramentum suscipiendum gratis concedendam in scriptis omnino faciat, ipsos scire rudimenta fidei, et illa, quæ scitu ad hoc Sacramentum rite suscipiendum sunt necessaria, in qua pariter confirmandi nomen, et cognomen, nec non parentum, et patrini, seu matrinæ notentur, cum indicatione Patriæ, et Paræciæ confirmandorum. Hæc a Nobis recognita, servabitur, ut confirmatorum, eorumque parentum, et patrinorum nomina in libro ad id specialiter deputato a Parocho nostræ Cathedralis Ecclesiæ statim conscribantur.

4. Huc usque omnibus diebus, omnique temporis momento, ac in omnibus fere hujus nostræ Diœcesis Paræciis, quantum in nobis fuit, hoc Sacramentum petentibus administrare non detrectavimus; ut in posterum vero debitus honor eidem Sacramento servetur, monitum volumus omnes, quod, ab hac die, extra casum necessitatis, tantummodo diebus dominicis hora secunda ante meridiem illud collaturi erimus. Itaque confirmandis omnibus, ac Patrinis in prædictorum dierum hora statuta in nostro Palatio adesse mandamus.

CAPUT QUARTUM

De sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

Inter cætera Divinæ largitatis Beneficia, populo Christiano exibita longe eminet Eucharistiæ Sacramentum, Sanctitatis enim auctorem, et fontem ipsum celestium charismatum, omniumque Sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabili modo in se continet. Ut igitur fidelis populus uberes possit percipere gratias, quæ nobis ex hoc Sacramento impertiuntur, Parochi, animarumque Rectores, postquam monuerint fideles sibi commissos de ejusdem Augustissimi Sacramenti excellentia, immensis utilitatibus, atque saluberrimis fructibus, ad illius frequentem usum, maxime in præcipuis anni solemnitatibus, ipsos adhortentur.

1. Etsi optaret Sancta Mater Ecclesia, ut singulis in Missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiæ perceptione comunicarent, uti ex Tridentino eruitur (1), attamen quia inter ipsos *multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi* (2) nec omnibus dicere licet cum Petro: *Domine tu scis, quia amo te* (3) Confessariorum id arbitro, ac judicio relictum est. Sciant igitur Confessarii, animarumque Directores ex Sanctorum Patrum sententia, frequentem, et eo magis

---

(1) Conc. Trid. Sess. XII. cap. 8.

(2) 1. ad Corinth. Cap. II. v. 30.

(3) Joan. Cap. XXI. v. 15.

quotidianam Comunionem, nonnisi illis, qui ferventi, ac puro charitatis desiderio flagrant esse concedendam, non vero illis, qui in mortalia sæpe labuntur, vel demum illis, qui nullum de hoc Sacramento desiderium ostendunt, sed solummodo consuetudini deservire volunt, nec ad certam cordis custodiam evigilant.

2. Cum tanta sit præsentis temporis morum corruptela, ut permulti Ecclesiæ præceptum de Paschali communione non adimpleant; propterea Parochi omnibus indiscriminatim suæ curæ commissis, accedentibus ad sacram Mensam, causa huic præcepto satisfaciendi, schedulas typis mandatas cum inscriptione Parochi, Tituli Parochialis Ecclesiæ, et anni distribuant, quas infra octo dies a tempore Paschali recolligant, et quos huic præcepto non satisfecisse repererint, post debitas admonitiones ad nos, vel Vicarium nostrum Generalem, sine ulla exceptione personarum, deferant fideliter, ut in contumaces cænsuris, et pœnis animadvertere possimus.

3. Nullo modo diebus feriatis in omnibus Paræciis, etiam ruralibus nostræ Diœcesis circa solis occasum omittatur visitatio ad sanctissimum Sacramentum cum benedictione Sanct. in Pixide repositi. Quo major numerus fidelium, præsertim rusticorum predictis in Ecclesiis, diebus feriatis conveniat, hanc, ante horam vigesimam tertiam fieri omnino prohibemus.

4. Cum ad ægrotos Sanctissimum viaticum defertur, quid quid a Rituali Romano, ac sacris canonibus, quoad pompam, delationem, et ministrationem

præscribitur, Parochi illibate observent. Præcipue duodecim saltem lumina ceræ albæ, inter quæ sex luminibus vitreis (vulgo lampioni) circumclausa assiduæ prælucere volumus.

5. Curent Parochi, et omnes animarum curam habentes, ut pueri a nono ad undecimum summum annum reddantur idonei, ac admittantur ad Sanctissimæ Eucharistiæ comunionem; atque adeo diligentissime ipsos in Christianæ doctrinæ, fideique catholicæ rudimentis, singulis Dominicis erudiant, et instruant, et quos idoneos repererint, certa, et præsignata die, præsertim in Paschate, confessos comunicent; quos vero rudiores crassioresque esse cognoverint, confessionis medicamento elutos remittant.

CAPUT QUINTUM

De pœnitentiæ Sacramento.

Quoniam peccata per pœnitentiam non emendata ad altera veluti pondere suo ex D. Gregorii sententia trahunt, ideo Parochi fideles sibi commissos ad peccata sua sæpe sæpius confessionis lavacro abluenda, uti piæ, meticulosæque conscientiæ homines faciunt, adhortentur.

1. Quoniam ex Concilii Lateran. IV. Can. *omnes ut. sex.* (1) omnes utriusque sexus Christi fideles cum

(1) Cap. omnis utriusque sexus de pœnit. et remis. ex Conc. Lat. IV. sub Inn. III. Can. 21 Trid. Sess. 13. can. 9.

ad annos discretionis primum pervenerint sub poena Interdicti ab Ecclesiæ ingressu, atque privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ confessionis præcepto adstringantur; ideo nos, ne fideles nonnulli, qui dum peccatorum suorum confessionem nescio qua diabolica fraude aversantur, omnem culpam in eos, qui huic Divino Ministerio sunt mancipati conijciunt, hæc servanda præcipimus.

2. Hortamur confessarios omnes sæculares, ac regulares, maxime curatos, ut hilari vultu, ac prompto animo se præbeant, diebus præsertim festivis, ad excipiendas confessiones omnium cupientium sanare vulnera sua, ac ut peccatores visceribus paterna charite refertis excipere satagant, et denique, nonnisi expleta confessione, dulcibus, et Deo plenis verbis reprehendant, ne stulta verecundia, Diaboli arte præpediti, peccata scienter confiteri detrectent.

3. Volumus præterea, ut omnes, et singuli confessarj cujuscumque ætatis, ac gradus sint, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive de mane stent in propriæ Paræciæ Ecclesia duarum horarum saltem spatio diebus feriatis, et trium diebus festivis ad audiendas confessiones Christi fidelium confiteri volentium, exceptis tribus ultimis diebus majoris Hebdomadæ. Idque observandum decernimus, etiamsi non adsint, qui confiteri petant; alias subijcientur pœnis nostro arbitrio infligendis.

4. Meminerint confessarii, se Doctoris, Medici, et Judicis simul personam gerere; sint ergo scientia;

prudentia, ac charitate non ficta referti, recte judicare volentes Lepram a Lepra; sacrorum cononum Constitutiones; casus et cænsuras S. Sedi, nobis, et a nobis reservatas recte nosse studeant; morbos prudenter curare; apta, et salutaria remedia, medicinalesque pœnitentias cuique applicare sciant; ac propterea libros versent manu diurna, versentque nocturna, cum ars artium sit dirigere animas.

5. Ut sacerdotes omnes nullo scientiæ comparandæ adjumento ad animas dirigendas destituerentur, Prædecessores nostri conferentias casuum conscientiæ in nostra Cathedrali, aliisque Ecclesiis hujusce Diœcesis antiquitus instituere voluerunt (1). Nos istiusmodi laudabilibus consuetudinibus inhærentes, præcipimus, ut saltem bis in mense, tam in Cathedrali nostra Ecclesia, quam in reliquis Diœcesis partibus a nobis designandis, hæ casuum moralium conferentiæ habeantur. Ad has convenire mandamus tum confessarios omnes, etiam Parochos, tum eos, qui ad confessiones audiendas admitti volunt. Reliquos sacerdotes, et Clericos, ut ibi frequenter intersint, hortamur.

6. Vicarii Foranei, et earumdem Congregationum Præfecti respective singulis quadrimestibus deficientium notam distinctam nobis exhibeant, ut transgressores puniantur, diligentiores autem nostra benevolentia foveantur.

(1) Concilium Provinc. Surr. sub Iosepho Donzello 1584 et Synodus Diœces. sub Antonio de Petio 1654 cap. de Cong. Cas. Conscientiæ.

7. Methodus servanda in Congregatione hæc est. Congregationum moderatores, sive Præfecti casum enucleandum in futura Congregatione efformabunt, cujus exemplar quindecim ante diebus ad valvas sacristiæ, vel loco consueto affigent; alterum vero alicui e confessariis, incipiendo a novissimis ad priorem usque ascendendo dabunt. Hic vivo vocis oraculo, juxta sacrorum Canonum Decreta, Theologorum accuratorum doctrinas, ac Regulas Casum enucleabit, expendetque. Quisque difficultates, si quas habet diluendas ab ipso, cui per turnum casus explanatio contingerit, in medium profert. Moderator erit judex in dubiis, et controversiis.

Casum, et solutionem ejus, singulis vicibus Congregationum secretarii in libro ad id specialiter deputando ad verbum describere curabunt, et singulis quibuscumque quadrimestribus, sub pœnis ad arbitrium, nobis exhibeant, ac relinquant, ut a nobis in Congregatione ad id specialiter deputanda examinentur, an recte fuerint discussi.

8. Hortamur Confessarios, ut omnem diligentiam, circumspectionemque in dirigendis, diudicandisque fidelium conscientiis adhibeant. Non ad dexteram, neque ad sinistram declinent, sed media, ac recta via incedentes exacti sint, ac rigidi, quantum spiritus, et christiana prudentia suggesserit, cum illis præsertim, qui in proxima peccandi occasione versantur. Mites sint, atque benigni, ubi de sententiis, quæ a peccato formali excusant sermo est; neque ralaxatorum Theologorum opiniones, qui per latas perditionis vias

ambulant; neque rigidiorum theses, qui jugum Domini impossibile ductu faciunt, sequantur. Meminerint non ipsos, sed Ecclesiam esse judicem controversiarum; hinc minime damnetur Theologica Nota, id quod Ecclesia nondum definire voluit; consulimus probabilius eligi, oppositum minime condemnari volumus.

9. Quanquam confessarii misericordiæ visceribus referti sint oportet, summa tamen ipsis cautio adhibenda est cum mulieribus præsertim confitentibus, ne aliquid scandali oriatur; ideo ipsarum familiaritatem fugiant cane pejus, et angue; illas in propriam domum neque admittant, nisi urgente causa, neque ad eas visitandas faciles sint.

10. Confessiones mulierum cujusvis gradus, et conditionis sint tantummodo in confessionali sede, quæ sit instructa crate ferrea, vel ænea, ac angustis foraminibus perforata, omnino audiri mandamus.

11. Caveant Confessarii a prohibendo quocumque obtentu suis pœnitentibus, ne vel aliis confiteantur, vel suæ directionis methodum aperiant.

12. Mulierum vere, ac graviter infirmarum confessiones, quando sunt audiendæ excipiantur aperto ostio, ita ut conspici quidem, non audiri ipsi possint, ac cætera serventur, quæ a Rituali Romano sunt præscripta.

13. Confessiones etiam virorum mandamus in Ecclesia excipi, præterquam in casu infirmitatis, exceptis confessionibus Sacerdotum, qui in Ecclesia com-

mode confiteri nequeunt, et aliquorum virorum sæcularium, quos in aliquo honesto, ac decenti loco, et etiam domi, audiri permittimus.

14. Mandamus Confessariis omnibus, etiam Parochis, ut festivis ac Dominicis diebus non excipiant Confessiones mulierum, nisi prius satisfecerint viris omnibus, præsertim ruralibus confiteri quærentibus ipsis, quod difficile exequi possent aliis diebus non festivis, exceptis confessionibus mulierum ruralium, aut prægnantium, aliarumque mala valetudine laborantium, quas permittimus posse interdum excipi ante confessiones virorum in prædictis diebus.

15. Monemus Confessarios omnes, hortamurque in Domino, ne propter aliena peccata animas suas æternæ damnationi devoveant nimiæ facilitati indulgentes. Quapropter differant, vel denegent Sacramentalem absolutionem iis, quibus est onus exequendi difficilia factu, uti sunt obnoxii restitutioni bonorum, vel famæ, præsertim si alias admoniti restituere neglexerint, grava peccandi consuetudine illigati, vel in occasione proxima peccandi constituti; infandis criminibus fœdati, aliique ejusdem furfuris pœnitentes. Confessarius enim prudens jure, meritoque veretur, ne istiusmodi pœnitentes, posteaquam excerpserint ab ipso absolutionem, non adimpleant restitutionem eis impositam.

CAPUT SEXTUM.

De Casibus riservatis.

Quoniam magnopere ad Christiani populi disciplinam compescendam pertinet ex Sacros: Tridentinæ Synodi Decreto (1), ut atrociora, et graviora quædam crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur, ideo Nobis has infrascriptas censuras, et casus, hac in Nostra Dioecesana Synodo reservamus, aliisque concessos nolumus, extra mortis articulum, in quo omnis reservatio ex eodem Tridentini Decreto cessat (2), absque Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis expressa licentia, præterquam illis, qui in calce eorumdem numerantur, atque illis in circumstantiis, quæ ibidem indicantur.

CASUS RESERVATI CUM EXCOMUNICATIONE.

1. Abusus Sacramentorum, Sacramentalium, aut rerum Sacrarum ad quodcumque superstitionis genus, sicuti et prædictorum dispensatio ad dictum finem, etiam abusu non sequuto.

2. Magi, Striges, Venefici, sortilegi, Divinatores, Nicromantes, sive quovis alio nuncupentur nomine ex utroque sexu, qui cum expressa Dæmonis invocatione ad quemcumque finem utuntur maleficiis, incantatio-

(1) Sess: XIV C. VII.

(2) Cit. cap: VII.

nibus, vel ligaturis, et qui petierint ea fieri, vel applicari, vel huic crimini consilium, favorem, aut auxilium dederint.

3. Confessarii omnes, etiam Parochi sollicitantes ad inhonesta personam quamcumque ex sibi confitentibus, sive in actu Confessionis, sive immediate ante, vel post.

4. Quælibet allocutio cum quacumque persona degenti in Monasteriis Clausuræ, etiam Episcopalis ex speciali privilegio, de rebus obscœnis, et amatoriis, sive voce, sive signo, sive litteris, sive per internuncium, quem eidem pœnæ subjicimus, dummodo sit criminis conscius. Hæc reservatio respicit supradictas personas ex utraque parte delinquentes.

5. Depositio falsi in quovis judicio cum juramento, vel occultatio veri contra innocentem; item procurare scienter, ut deponant falsum, effectu sequuto. Item scripturas falsas scienter producentes, aut fabricantes. Omnes supradicti excusantur a censura, et cessat reservatio, si antedicta damnificatio non excedat summam Ducatorum quadraginta.

6. Detinentes, surripientes, occultantes, lacerantes, comburentes, falsificantes scripturas Nostræ Curiæ, Mensæ Archiepiscopalis, vel Beneficiorum, aut Ecclesiarum, locorumque Piorum; et ad id favorem, consilium, aut opem dantes; similiter surripientes libros ex Bibliotheca Nostri seminarii.

CASUS RESERVATI SINE EXCOMUNICATIONE.

1, Blasphemia in SS. Trinitatem, Deum, Christum, sanguinem ejus, et Beatam Virginem. Hæc omnia, si aliquem errorem formalem contineant contra fidem, sunt sedi Apostolicæ reservata.

2. Homicidium, aut mutilatio voluntaria, quocumque modo procurata: mandatum; auxilium, aut consilium ad ea; scienter arma ministrantes ad illa; venena præbentes. Hæc omnia reservantur effectu sequuto.

3. Procuratio abortus, mandatum, consilium, aut auxilium: sterilitatis poculum componentes, propinantes, nec non in præmissis scienter quomodolibet cooperantes.

Procuratio abortus fœtus animati, effectu sequuto, habet adnexam excomunicationem latæ sententiæ a Greg: XIV. Ordinariis locorum reservatam; quod intelligendum de omnibus quocumque modo cooperantibus, sed effectu sequuto.

4. Suffocantes in lecto pueros ex culpabili negligentia.

5. Conjuges retinentes in suo lecto filios post annum septimum.

6. Sodomia perfecta, sed inter mares tantum.

7. Bestialitas a maribus tantum patrata.

8. Incestus in primo gradu, tam consanguinitatis, quam affinitatis.

9. Genitores, et parentes alii, vel etiam extranei commodum quocumque modo præbentes ad malum fi-

nem sponsis, ut cohabitent simul, post publice contracta sponsalia.

10. Concubinarii publici, post trinam admonitionem Parochi, quæ non excedat duos menses, nisi facta separatione cohabitationis, et Tori.

11. Non adimplentes præceptum Paschale.

12. Debitores locorum Piorum non solventes debitum intra mensem a die requisitionis juridice factæ, dummodo non excuset impotentia solvendi.

13. Naucleri jactantes ad scopulos navigia, seu cymbas, vel merces transvehendas, rapientes, vel vendentes: Item testificantes falsam mercium projectionem, vel vi tempestatis abreptas a fluctibus.

14. Recidentes, vel comburentes arbores, dummodo damnum, sive arborum, sive fructuum excedat summam ducatorum sex.

In has autem reservationes hæc volumus attendi 1.° Declaramus hisce, neque censuris, ne casibus obnoxia esse peccata ab iis commissa, qui minime excesserint ætatis annum decimum quartum 2. Canonico Pœnitentiario Nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ facultatem facimus absolvendi per se ipsum a censuris, atque casibus omnibus, quos Nobis reservavimus. 3. Eandem facultatem facimus Dignitatibus, et Canonicis Nostræ Cathedralis, Parochis omnibus, uti etiam Æconomis Curatis, nec non Pœnitentiariis Collegiatarum, qui adhuc sunt in officii exercitio a Dominica quarta Adventus usque ad totam diem Epiphaniæ Domini; deinde a Dominica Palmarum usque ad totam Dominicam, in qua Festum SS. Trinitatis solemniter pera-

gitur. Demum toto pervigilio, ac die festo S. Antonini Abatis Principalis Patroni hujusce Civitatis, atque Diæcesis. Eadem facultas conceditur Confessariis simplicibus quotiescumque audiunt Confessionem eorum, qui detinentur in carcere, vel qui commorantur in locis, ex quibus exeundi facultate carent; vel eorum, qui ægrotant, quibus Sacramentum Eucharistiæ est ministrandum, ex medicorum præscripto, vel qui jam sponsi eo ipso die, vel crastino nuptias sunt facturi, vel qui generalem anteactæ vitæ confessionem instituunt, cum probabilis subest dubitandi ratio, quin a peccatis reservatis, alias confessis, rite, et valide fuerint absoluti; vel qui reservationem criminis, in quod prolapsi sunt ignorabant. Hi tamen de reservatione certiores reddantur, moneanturque non esse in posterum absolvendos, nisi ab eo, qui legitima quoad peccata reservata potestate sit præditus, si in crimen eundem relabantur. 4 Cum facultatem tribuimus absolvendi a casibus Nobis reservatis, concessam simul volumus facultatem absolvendi a censuris Nobis itidem reservatis, quas illorum aliqui habent adnexas, non excepta procuratione abortus fœtus animati, quæ effectu sequuto, peculiari mentione indiget. 5. Confessarios monemus, ut pœnitentibus gravitatem, ac turpitudinem reservati criminis exponant, et justam illis, ut prudentia suggeret, imponant satisfactionem. 6 Noverint etiam Confessarii in facultate absolvendi ab incestu simul esse concessam facultatem dispensandi, quatenus opus sit, conjugatos ad jus petendi debitum.

CAPUT SEPTIMUM.

De Extremæ unctionis Sacramento.

1. Sacramentum hoc institutum esse a Christo Domino pro salute animæ et corporis, interdum si expedierit infirmorum, ex sacrarum litterarum, (1) ac Sanctorum Patrum Dionysii, Ambrosii, Chrisostomi (2) aliorumque testimonio comprobatur. Quapropter, ut hujus Sacramenti virtutes, utilitatesque eximias percipiant decumbentes, Parochus de multiplici ejusdem virtute, excellentia, atque saluberrimis quoad vitam spiritualem et corporalem effectibus moneat, instruatque sibi concreditos fideles, ut vehementer exposcant illud, ac percipiant pietate summa, et religione, cum mens, et ratio illis viget, non eo temporis articulo, in quo, sensibus carentes, nequeunt ad recipiendam hujus Sacramenti virtutem precibus, orationibus, sanctæ fidei, spei, et charitatis actibus preparari.

2. Exceptis impœnitentibus; in manifesto peccato mortali; ac in excommunicatione decedentibus, non solum adultis graviter infirmis; verum puerulis etiam usum rationis, et discretionis habentibus, etsi nondum alia Sacramenta perceperint, hoc Sacramentum administrandum. Amentibus quoque, qui aliquando usum rationis habuere, dummodo irreverentiæ non timeatur periculum, conferri debet.

---

(1) Marci cap: 6 v. 13.

(2) Dionys: lib. De Eccl: Hierar: Cap: 6 Ambr: de his qui misteriis initiantur. Chris: lib: 3 de Sacerdotio.

3. Deferatur ab Ecclesia ad infirmos a Parocho, vel sacerdote, qui sit indutus superpelliceo, et stola, vel a constituto in sacris cum superpelliceo, aliquo semper praecedente lumine; dummodo gravis necessitatis casus, vel Ministrorum deficientia aliter non suadeat.

4. Habeant Parochi præ oculis hoc in Sacramento administrando serventque summa Religione cærimonias a Rituali Romano praescriptas.

5. Denique volumus, ut nullatenus Parochi, hoc Sacramento administrato, infirmos deserant omnino, sed eis in extremis laborantibus præsto sint piis precibus, orationibus, reiteratis contritionis actibus opitulentur; Sanctorum exemplis ad morbi, quo affligantur toleranda gravia incommoda animent; fidei, spei, et charitatis actibus, spiritum, et virtutem ad vim adversarii, et impetum frangendum confirment: et denique Apostolica benedictione in mortis articulo, juxta præscriptum Ritualis Romani, si ipsis est facultas eam impertiendi præmuniant, ut insidiantis inimici artificio, et calliditate elusis, ex hac mortali vita decedentes expeditiorem ad Cœlum viam habere possint.

CAPUT OCTAVUM.

De ordinis Sacramento.

Potiora Ecclesiasticæ militiæ arma sunt scientia, et sanctitas; ideo ad ordines, qui promoveri cupiunt, præter sanctitatem negativam, aut immunitatem a peccato, positiva sanctitate ornati esse debent, ut digni in vinea Domini operarii esse possint ad serviendum Deo viventi.

1. Omnium promovendorum ad ordines requisitorum Elenchus pro singulis ordinibus, tam minoribus, quam majoribus adest in Nostra Curia. Nemo, qui iisdem instructus non sit ordinibus initiabitur.

2. Non solum sanctitate, sed scientia etiam præditi esse debent, qui Dominicæ hæreditatis participes esse deliberarunt, ut *ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina* (1). Malachias enim ita testatur: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est* (2) quæ non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam indicant, saltem quæ ad suscepti officii, et ministerii functiones exercendas unicuique satis esse possit. Promovendorum ideo scientiam stricto examine coram Nobis, ac Examinatoribus Nostris explendo, experiri volumus.

3. Ut quisque vero ordinandorum sciat quem scien-

(1) Can. 1 Dist. 30.

(2) Malach. Cap. 11. v. 7.

tiæ gradum pro unoquoque ordine ab ipsis requirimus, hæc erit servanda regula.

Nemo minoribus ordinibus initiabitur, nisi linguam latinam probe intelligat, Rethoricesque curriculum expleverit, et majoris scientiæ comparandæ spem præseferat. Pro Subdiaconatus Ordine, præter philosophiæ curriculum, ac tres tractatus sacros, vel Dogmaticæ vel Moralis Theologiæ, expositionem saltem, vel unius libri Institutionum Canonicarum, vel duorum sæculorum Ecclesiasticæ Historiæ requirimus. Ad Diaconatus autem ordinem, vel Expositionem duorum librorum Institutionum juris Canonici, vel sex sæculorum Ecclesiasticæ Historiæ, præter quatuor Tractatus Dogmaticæ, vel Moralis Theologiæ postulamus. Ad Præsbyteratus denique ordinem ultra expositos Tractatus, omnem Sacramentarium, omnemque expositionem Canonicarum Institutionum, sex saltem sæculorum Ecclesiasticæ Historiæ notitiam omnino volumus, atque requirimus.

CAPUT NONUM.

De Matrimonio.

1. Cum Matrimonium novæ Legis Sacramentum sit, sponsi, sponsæque ad illud rite suscipiendum vitæ sanctitate disponantur oportet. Conversationes ideo, multoque magis inter seipsos cohabitationes, pernoctationesque Conjugalis sanctimoniæ inimicæ ne innumerabilibus onerentur peccatis, ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam omnino prohibemus.

2. Cum Sponsi, et Sponsæ non vereantur aliquando invicem conversari, et cohabitare tanto animarum suarum discrimine, populi scandalo, et familiarum dedecore; ideo Parochis, animarumque Rectoribus stricte mandamus, ut quantum in Dòmino possint, quisque studet hujusmodi mala omnino profligere a fidelibus sibi concreditis, salubriter ipsos admonendo, hæc gravissima peccata indignationem Divinam provocare, plurimas calamitates in Ecclesiam inferre, et inter ipsos conjuges dissidia, in filios infortunia, in substantias dissipationes, in totam denique familiam dedecus, maximasque clades importare. Exposcant etiam nostrum auxilium, si postquam sponsos, sponsasque monuerint, velint omnino in unum cohabitare, antequam in faciem Ecclesiæ Matrimonium contrahant.

3. Curent Parochi, ut in Matrimonio jungendi fi-

deles, ad illud celebrandum religiosa animi præparatione, ac Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramentis muniti accedant, ut uberiores fructus inde manentes consequi possint, neque aliquo peccato, gratia, quam essent accepturi, priventur.

4. Sponsos, Sponsasque super Fidei Christianæ rudimenta examinare curent Parochi, et rudes, ignarosque, si quos invenerint a contrahendo Matrimonio, donec ea addiscerint, omnino repellant, ac in omnibus habeant præ oculis præscriptum a Rituali Romano, ac etiam Decretum dictum *Contrahatur* a Curia Nostra emissum summa religione observent. Nec omittant iis, qui tam venerabili Sacramento jungendi sunt, exponere ea omnia impedimenta, quæ tam invalidum, quam illicitum Matrimonii vinculum reddunt.

5. Non in Ecclesiæ ædibus, vel privatis Domibus, sed in Ecclesia ipsa, et de mane jungantur in Matrimonium fideles, statimque celebretur Missa pro Sponsis, si fieri potest, exceptis secundis Nuptiis. Hac occasione Parochi de sanctitate ejusdem brevem sermonem sponsis habere non desinant, ne falsa Matrimonii idea decepti, turpitudine, et nefaria libidine animam commaculent.

CAPUT DECIMUM.

De Missæ Sacrificio.

Unum, idemque esse Crucis, ac Missæ Sacrificium sola offerendi ratione diversum, uti verbis utamur Tridentini in comperto est (1). Dominus enim Jesus Christus primarius, atque æternus Sacerdos, qui seipsum in ara Crucis immolavit, ministerio utitur nostro ad semetipsum Deo Patri offerendum. Qua igitur sanctitate, qua vitæ innocentia præditi esse non debemus, qui Christum Salvatorem Nostrum in Altaris Ministerio repræsentamus?

1. Intimo cordis dolore affecti, scimus nonnullos eam vitæ rationem sibi instituisse, ut vix, ac ne vix quidem suam conscientiam lavacro Confessionis emundent. Meminerint Sanctos Dei homines ad Pœnitentiæ Sacramentum sæpissime confugisse, verentes ne immundi essent apud illum, qui etiam in Angelis suis reperit pravitatem. Ut illa igitur, qua decet, animi puritate illibata ad conficienda sacramenta, vel ministranda accedant Sacerdotes, hortamur omnes, præsertim illos, ad quos eorundem Sacramentorum ministratio ex officio pertinet, ut frequenter conscientiam propriam ad fontes Salvatoris emundent, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati, dum aliorum saluti consulunt, propriam æternæ damnationi devoveant.

---

(1) Sess: 22 Cap: II.

2. Ad compescenda scandala illorum, qui post longos sermones de Mundanis rebus, maxime in Sacristia, in qua potius gratiarum actio est auscultanda, habitos, sacras vestes induunt, et festinanter ad offerendum Deo currunt, hæc edicimus.

3. Ut in qualibet Sacristia adsit locus, si fieri potest, segregatus, ac instructus genuflexorio, devota aliqua Imagine, et Tabella piarum precum, ubi Sacerdos sacrificium immolaturus, alienis curis sepositis, præparet animam suam piis, ferventibusque precibus, corde puro, et conscientia munda, sacrisque jam peractis, gratias agat Deo, et in cœlestibus deliciis pascatur.

4. Districte prohibemus, ne in Sacristia mulieres, quacumque causa, vel quæsito colore admittantur. Sæculares etiam ab illa removeri mandamus, illis exceptis, qui aut ad abluenda peccata, aut ad aliqua peragenda negotia, quæ ad res sacras pertinent, immorantur.

5. Curent Parochi, Sacristæ, et omnes, quibus commissa est Ecclesiarum cura, ut laici cujuscumque ætatis, et conditionis sint, nullo modo in Præsbyterio adsint, dum sacræ res peraguntur. Mulieres vero non solum ab ipso longe sint, sed locum etiam in Ecclesia separatum a viris perpetuo habeant, quantum fieri potest.

6. Cum ex omnium benignorum Theologorum, etiam B. Alphonsi sententia rectæ celebrationis Missæ privatæ tempus sit circumscriptum a tertia saltem ad dimidiam horæ partem, non excusantur profecto a mortali peccato, qui Missam, etiam de Requie, mi-

nus quadrante absolvunt. Nos illorum Sacerdotum, si qui sunt in Nostra Diœcesi, perditos mores refrænare cupientes, qui ita sincopatice, mutilate, et præcipitanter Missam celebrant, ut horæ quadrantem non adæquent, mandamus, et præcipimus omnibus, et singulis Parochis, Sacristis, Ecclesiarumque Rectoribus, ut videntes prima, et altera vice, Sacrosantam Missæ actionem minus quadrante horæ absolvi, admonere non desinant, singulis pariter vicibus, Sacerdotem delinquentem; si tertio vero in eundem defectum incidere illum agnoscant, similiter admoneant; qua admonitione facta, sacerdos delinqnens sciat, se illico ab officio suspendi. Hanc suspensionem incurri volumus etiam a Parochis, Rectoribus, et Sacristis, si Sacerdotem hac in re tertio delinquentem cognoscentes, non monuerint, neque statim Nobis denunciaverint.

7. Nemo audeat ad Sacrum faciendum accedere sine veste talari. A cothurnis, vulgo *Stivali* in venerationem tanti Mysterii se abstineant Sacerdotes celebrantes.

8. Exteri Sacerdotes, etiam Regulares nullibi in Ecclesiis ad celebrationem Missæ admittantur, nisi licentiam a Nostro Vicario Generali, vel Foraneis, in scriptis obtentam, præsentaverint.

9. Parochi, Ecclesiarum Rectores, et Sacristæ omni diligentia curent, ut vestes, linteamina, vasa sacra, aliaque omnia pro Sacrificii usu adhibenda Ecclesiasticæ munditiæ nitore colluceant. Præcipimus etiam, ut ministri inservientes Missis decenter vestiant, neque laceris vestibus sordescant, sintque omnino calceati,

idque præcipue in Ecclesiis Parochialibus, et majoribus nostræ Diœcesis; dedecet enim pannosos pueros, sordidosque laicos in hujusmodi sacris ministeriis adhiberi.

10. Sæculares officio Sacristæ fungi nolumus, nec calices abstergere, aut vasa sacra, etiam vacua, purificatoria, corporalia ad sacrificium adhibita, tangere. Paramenta similiter sacra pro Missarum celebratione lacera, vel attrita, vel corrosa, vel contaminata esse non sinimus. Similiter illa, qua decet reverentia, plicari, vel assectari a sacerdote, post Missam celebratam, præcipimus.

11. In accipiendis eleemosinis pro missis celebrandis sciant clerici graviter peccare, et restitutioni obnoxios esse, si missam manualem cum certa eleemosyna celebrandam alteri committent, retenta sibi parte stipendii.

12. Adsit in qualibet Sacristia, parieti affixa, Tabella exhibens onera perpetua missarum, anniversariorum, aliarumque functionum cum indiculo scripturarum, ex quibus oritur obligatio; similiter nomina eorum pro quibus, qua die, quove in altari celebrandum sit una cum redditibus annexis. Juxta tenorem tabellæ hujusmodi in singulis sacristiis habeatur quoque perpetuo liber describendis missis manu ipsius sacerdotis, qui celebravit, destinatus.

13. Diebus festivis in Ecclesiis Parochialibus, ubi missarum inopia laboratur, alium sacerdotem nolumus missam celebrare, quando primus celebrat, sed inter unam, alteramque Missam aliquid esse intermedii volumus *

PARS TERTIA.

CAPUT I.

De vita, et honestate Clericorum.

Cum ipsa Sacerdotis vox, clericique nomen nihil, nisi sanctitate plenum, morumque gravitate refertum exprimat, necesse est, ut hi perpetuo meditentur verba Christi : *vos estis sal terræ; vos estis lux Mundi.* Quanto igitur oportet, ut odore virtutum cunctos recreent fideles ? Dignitatis namque sublimitati par esse debet perfectionis excellentia. Sæpissime ipsi perpendant Apostoli verba : *sobrie, juste, et pie vivamus in hoc sæculo:* sobrie quidem quoad se ipsos, iniquas compescendo passiones: juste quoad proximum, maxime studentes, ne aliis noceant: Pie erga Deum, puram, illibatamque Religionem præseferentes, quæ ex interiori in exteriorem formam undequaque profluat, atque refulgeat.

1. In orationem potissimum incumbant, aliisque hoc ipsum Domini Nostri Jesu Christi præceptum, quo perpetuo obstringimur, insinuare non desinant. Ex hoc enim fit, ut quæ ad salutem necessaria omnino sunt affatim percipiamus.

2. Caveant potissimum sæculi luxum, profanorum hominum conversationes, choræas, et ludos, in quibus incredibile est quantum Clericalis dignitas

deprimitur. Eosdem summopere hortamur, ut Ecclesiæ Canones, qui omnem ipsis cum mulieribus societatem interdicunt, assidue revolvant animo; quod de illis intelligendum mulieribus, quarum ætatis immaturitas ab omni suspicione, juxta Canones, haud liberat Clericos.

3. Ne ullus sit, qui sacerdotali honori detrahat, hortamur, ac jubemus, ne domos ubi mulieres commorantur frequentent Clerici, nisi necessitas cogat, quo casu, quam brevissime se expedire volumus, neque unquam id noctu fiat.

4. Quia vera summo animi dolore audivimus aliquos esse Sacerdotum, qui negotiationi student, quod a sacris canonibus sæpissime damnatum, proscriptumque esse scimus, ideo pœna suspensionis ipso facto innodari volumus sacerdotes hujusmodi, nisi intra quindecim dies ad hujus synodi promulgatione iniquum dimittant officium. Sciant porro præfatam suspensionem in illos infligi, qui negotiationem stricte sumptam, ut Theologi loquuntur, exercent. In reliquis vero quæstuosis officiis, ac lucris Canonicas consulant regulas.

5. Et quoniam omnes generaliter S. Hieronymus his monet verbis: *Clericum negotiatorem, ut pestem devita,* nullus sacerdos, vel agentis, vel œconomi, vel Procuratoris cujuslibet laicæ personæ, officium assumat, neque advocati munus exerceat, nisi pauperibus tantummodo præsto esse velit; neque in sæculari foro saepe se conspiciendum præbeat.

6. Præterea nemo sit, qui contra consuetudinem

hujusce Diœcesis nunquam satis commendandam alia utatur veste, nisi quæ nigri coloris sit, et ad talos usque descendat, præter itineris causam, comminantes in eos, qui deliquerint pœnas nostro arbitrio infligendas.

7. Licet vero major pars sacerdotum hujus Diœcesis ita ad modestissimam vivendi formam se componat, ut delectari de ea sæpe occurat; attamen quia solent noxia aliquando germina speciosiora inter semina videri, omni, qua præditi sumus auctoritate, præcipimus, ut clerici omnes ab omni scurrilitate, impudicis verbis, et sermonibus; imprecationibus, contumeliis, ac detractionibus summo studio abhorreant.

8. In hoc insuper praestantes erunt, ut Pastoris sui, et pro tempore existentis Archiepiscopi Dignitatem, auctoritatemque venerentur, memores illius, quam in sacra ordinatione obedientiam promiserunt, cum ordinandi Episcopo, eamdemque postulanti prompto animo responderunt: *Promitto.*

9. Alterum sacerdotalis characteris ornamentum scientia merito putatur, adeo ut nullo apud omnes pretio sint, si debita cognitio in ipsis desiderari contingat; quamobrem monere eos non desistimus, ut quantum vires suppetant crapulas. ebrietatesque studiosissime aversentur; sacræque scripturæ studio sedulo incumbant, et Theologiæ tam Dogmaticæ, quam morali dent operam, semperque juris canonici libros in manibus versent, Patrum Ecclesiæ opera, nedum Ecclesiasticæ historiæ volumina terant, omnesque denique vehementer hortamur, præsertim juniores, ut Seminarii Nostri Cathedras frequentare non desint.

CAPUT SECUNDUM

De sacris functionibus Hebdomadæ majoris, nec non de ritibus, sive cærimoniis in ecclesiis per totum annum exercendis.

Quæ majoris momenti sunt in Religione Catholica functiones, quæque Divinam erga nos pietatem magis commendant, idest officia, et functiones Hebdomadæ majoris, hæ primum tenent locum.

1. Quo autem hæ debito peragantur honore præsbyteri omnes, aliique tam in Sacris, quam in minoribus ordinibus constituti, imo et Novitii ipsi propriæ Parochiæ servitio non desint, sacrique Ministerii functiones longe majori, qua unquam solet pietate, ac Religione exerceant.

2. Verum quia multi Choro addicti, propriam deserentes Ecclesiam aliarum servitio attendunt, his ut plurimum diebus, idcirco sancimus, ut in Nostra Civitate Surrenti prædictæ functiones prius in Metropolitana Ecclesia, deinde, his ibi expletis, alibi peragantur, ne Monialium quidem exceptis Ecclesiis. Idem pariter servetur in Districtu Parochiarum Collegiatarum Caprearum, Massæ-Lubrensis, ac Vici-Equensis.

3. Porro quia ritus, quibus tam veneranda mysteria repræsentantur, aliquando ignorantur, utpote semel in anno adhibiti, omnes de Clero monemus, ut antecedenter eas legant, disponant, atque ordinent, idque præcipue a cæremoniarum Magistro cu-

rari volumus. Hac de causa statuimus, ut quælibet Parochia provideatur collectione Sacrarum Cæremoniarum in quatuor libros dispertita opera PP. Missionis Neapolitanæ domus nuper in lucem edita, ita enim fiet, ut cæremoniæ illæ, qua par est dignitate, exerceantur, et fideles ex illis quam maximam devotionem concipiant.

4. Illud pariter rerum ordo postulat, ut in Ecclesiis hujus Civitatis Surrenti antiqua consuetudo servetur, ut in die Sabbati Sancti nullibi campanæ pulsentur, quin prius hæc Nostra Metropolitana Ecclesia signum dederit. Idem etiam præstandum volumus in quolibet districtu illarum Parochiarum, quae Collegiali Capitulo decorantur. In reliquis vero Nostrae Diœcesis Parochiis, ut sine ullis controversiis rectus ordo servetur hanc regulam tradimus servandam, scilicet nullum campanae sonum edi posse, nisi hora cum dimidio ante meridiem.

5. Quod de præfatis sacris functionibus dictum est, ut scilicet debita reverentia, ac decore peragantur accurate observandum jubemus, quotiescumque Divina ministeria exercenda sunt per anni cursum, idque ut rite magis praestetur nullus eorum, qui Choro intersunt, sacrorum officiorum tempore conspiciendum se praebeat, vel sine superpelliceo, vel absque propriis insignibus; multoque minus confabulationi occupatus, quod fidelibus gravissimo est scandalo; sed honestissima devotione, quae est perpetuum quoddam praedicandi genus, se componant; alias tanquam absentes punctari volumus.

CAPUT TERTIUM.

De Processionibus.

Inter omnia Religionis Nostræ ornamenta, accurata omnium sacrorum rituum observantia præcipuo loco collocetur necesse est, dummodo hi debita dignitate, ac ordine ab universo Clero exerceantur. Jam vero, ut ritus ipsi suo honore, ac majestate non priventur, et Christiano populo incitamento ad bonum sint, pauca Nobis sunt disponenda.

1. Publicæ supplicationes, nullæ fiant in Nostra Dioecesi ob quascumque populi necessitates, nisi de Nostra, aut Vicarii Nostri Generalis licentia, præter eas, quas vel rubricæ imperant, vel antiquissima alicujus Ecclesiæ consuetudo permittit.

2. Processiones Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quæ majori utique pompa, atque apparatu peragendæ sunt, tantum in festivo die Corporis Christi, et per octavam celebrentur, nec non in primo, vel tertio quoque Dominico die in singulis mensibus, prout cujuscumque Ecclesiæ consuetudo requirit. Hæ vero nonnisi intra Templi ambitum fiant, aut in foro, quod proxime Templo adjacet.

CAPUT QUARTUM.

De Missis, quæ cum cantu celebrantur.

Sæpe accidit, ut vel Testatorum voluntate, vel fidelium devotione in Parochialibus præsertim Ecclesiis Missæ aliquæ, vel de Sancto, vel votivæ, etiam de Requie solemniter celebrandæ sint, pro quibus quædam pæcuniæ summa eleemosynæ loco destinatur. Ne in his quoque suus desit ordo, sequentia præcipimus.

1. In omnibus Missis, quæ cum cantu celebrantur, et quibus Clerus propriæ Parochiæ inservit, omnino punctatura notentur, qui in Chorum intrant post ultimum Kyrie Eleison exactum.

2. In omnibus Ecclesiis Parochialibus, ubi invenitur Clerus, a Parocho quotannis nominetur Sacerdos aliquis, qui Punctatoris officio fungatur, per Clerum deinde probandum pluralitate votorum.

3. Similiter in omnibus Ecclesiis Parochialibus aliquis Sacerdos erit deputandus eodem modo, ac supra dictum est de Punctatore, qui Magistri cærimoniarum munus exerceat. Huic, ut majori studio in iis exerceri valeat, librosque ad rem facientes comparare, in omnibus distributionibus, sive Missarum Solemnium, sive Exequiarum, media pars accrescat supra cæteros Præsbyteros.

4. Idem in Collegiatis Ecclesiis faciendum erit,

sed personæ ad hoc munus electio ad solum Collegium pertinebit.

5. Eodem modo, et ordine, ut supra, constituatur in omnibus Parochialibus Ecclesiis e Sacerdotibus unus, qui magis idoneus reputabitur, ut expleat partes Magistri cantus Gregoriani, cujus officium sit Clericos omnes, imo etiam Sacerdotes (quos vehementer hortamur, ut non pudeat ab illo edoceri) in eodem cantu instruere. Quicumque huic officio incumbit media parte, præ cetæris, in omnibus distributionibus, ut supra, tam Missis, quam in Exequiis gaudeat.

6. Hi duo officiales, videlicet Magister cærimoniarum, et Cantor post quatuor annorum spatium perpetuo renoventur, ut omnes se huic muneri idoneos curent præbere.

CAPUT QUINTUM.

De Exequiis.

Quia facile, quæ ad Funera, et Exequias pertinent, non secundum ordinem fiunt, et quibusdam non raro abusibus patent, hæc servanda mandamus.

1. Cum Clerus a propria Parochia cadaver comitaturus discedit, eo ordine incedat, uti Rituale Romanum præscribit, videlicet ut Cruce præcedente, omnes Clerici, et Præsbyteri bini procedant superpelliceo, et birreto induti; Canonici vero Cappa cum

Rocheto, juxta antiquitatis possessus gradum, minimeque inter se confabulando.

2. Nullus sibi licere putet in via sisti, ut præstoletur agmen cum redibit, dummodo perspecta, et certa causa non excuset, idque nullo modo fiat sine consensu Parochi, vel illius, qui in eo Clero est primus. Si qui contra fecerint, ut absentes notari volumus. Idem ordo scrupulose magis tenendus est in recessu.

CAPUT SEXTUM.

De Canonicis Cathedralis, et Ecclesiarum Collegiatarum.

1. Quemadmodum juxta præsentem Ecclesiæ Disciplinam Canonici nobiliorem Cleri partem exhibent, præcipuoque in Ecclesia loco positi sunt, ita necesse est, ut aliis, et morum integritate, et zelo Disciplinæ, et Divini cultus amore præcellant. Ipsorum præcipuum munus est, ut chori servitium, uti dicitur, idest publicam sacrarum horarum recitationem, et solemne sacrarum functionum exercitium summa religione, ac dignitate exequantur. Nobis delatum est illorum quosdam, posthabito omni rectæ conscientiæ sensu, maximo fidelium scandalo, animarumque suarum jactura huic tam necessario decsse officio, acceptumque onus negligere. Cunctis manifestæ sunt sacrorum Canonum sanctiones, Summorumque Pontificum ea de re Constitutiones. Quin imo indubium est, Romanam Sedem,

etiam urgentibus causis, nonnisi audito Ordinarii, Capitulique voto hac in re dispensare consuevisse. Quanam igitur perversa conscientiæ pace, ac securitate nonnulli se huic oneri subducunt?

2. Quidam ab omni se crimine excusant, quia absentiæ a Choro pœnam subeunt, amittendo distributiones spirituali servitio debitas; sed præterquam non ita omnino se res habet, quis audebit legis transgressores culpa liberare, eo quod pœnam a lege inflictam luere non abnuunt? Quis tutos illos credet? Quis Deo vindici se obnoxium ire non timebit?

3. Verum illud etiam aliquando maxime dolendum est, quod muneri suo satisfecisse putant nonnulli, dum materiali tantum præsentia choro adsunt, animo vero perpetuo distracti, aut sæpissime cum aliis colloquendo, ita ut dum Deum inhonorant, obsequium Illi se præstare falso putant. Hinc, ut huic malo prompto remedio, quantum possumus occurramus, præcipimus Punctatoribus non solum Metropolitanæ Nostræ Ecclesiæ Capituli, sed cæterarum etiam Collegiatarum totius Diœcesis, ut juramentum in manu Nostra, vel Archidiaconi, sive Præpositi pro tempore existentis emittant, quo se Punctaturam fideliter promittant executuros juxta ea omnia, quæ a Nobis jure decernuntur, quæque jam a Sacr: Trid: Synodo, et Congregatione ejusdem Concilii interprete super his sancita sunt.

4. Curent insuper singulæ Collegiatæ, ut quotidie Missam Conventualem dictam pro Benefactoribus in genere applicent. Illae vero, quarum tenues sunt redditus,

veniam a Sac: Congreg: statim implorent, ut diebus tantummodo Festivis de præcepto onus illud assignet, quod, intra duos saltem menses, exequendum mandamus.

5. Quia vero Metropolitani Nostri Capituli redditus pene nulli sunt, ita ut punctatura a Sac: Trid: Conc: præscripta vix peragi possit, ideo præcipimus, ut ex integra reddituum, cujuscumque sit generis, summa, oneribus detractis, tertia pars separetur, quæ omnino subjecta sit punctaturæ, idque servabitur, donec idem Metropolitanum Capitulum rite dotabitur, juxta ultima pacta Conventa inter Sedem Apostolicam, et Regem Ferdinandum I. felicis recordationis.

6. Quod pertinet ad Vici-Equensis Collegiatam cum quisque Canonicorum in ea sua gaudeat præbenda, neque ulla existat Massa comunis, ut ajunt, ideoque nulla adhuc punctaturæ lex obtinuit, quo ea pariter ibi servari possit, juxta Canonum statuta, volumus, ut quod superest, detractis expensis necessariis, ex legato vulgo dicto *de Longobardi*, cujus æqualis modo pars unicuique Canonico contingit, illud deinceps, punctaturæ legi subijciendum sit.

7. Et quia id quoque tenuissima res videtur, Nos Apostolica auctoritate innixi, propter potestatem Nobis a Sac: Conc: Trid: concessam, perpetuo unimus redditus Cappellæ B. M. Virginis Gratiarum Supra Mare, olim dictæ Hierosolymæ, quæ semper ab eodem Capitulo recta fuit, et modo regitur, exceptis expensis necessariis ad cultum, et ejusdem Cappellæ con-

servationem eidem Massæ quotidianarum distributionum, quique eidem punctaturæ subjecti sint. Id autem tum obtinebit, cum diligentissima Nobis exhibita fuerit Nota ad expensas pro dicta Cappella necessario stabiliendas.

8. Insuper morem jam laudabiliter vigentem apud idem Capitulum confirmamus, ut ex eisdem redditibus ducati quindecim Parocho assignati sint ad Missam pro populo in diebus a jure præscriptis applicandam.

9. Quia vero in eadem Ecclesia Collegiata expensæ pro debito Religionis cultu, nonnisi subsidio Montis sub titulo Sanctissimi Sacramenti fiunt, cujus redditus tales sunt, ut priori obligatione servata, aliquid annuatim supersit, ea de causa, præfatum Montem eidem Collegiatæ aggregatum volumus ea conditione, ut salvis semper oneribus eidem annexis, et præcipue ducatis decem Parocho pro tempore quolibet anno solvendis, praeter alios ducatos quindecim supra dictos per Administratores Cappellae S. M. dictae supra Mare, praestandos eidem Parocho, reliqua inserviant distributioni quotidianae sub punctationis lege.

CAPUT SEPTIMUM.

De Regularibus.

1. Plura sunt in hac Nostra Dioecesi Regularium Monasteria, quorum nonnulla in ruralibus locis collocata quam longe a Pagis et Civitatibus distant. Ad prae-

cavenda praesertim Mulierum pericula, dum illas Ecclesias adeunt, volumus easdem aperiri non posse, nisi orto jam sole.

2. Caveant generatim Regulares, ne fines sibi a jure praescriptos praetergrediantur, neve sibi Parochialia jura vindicent, praesertim Eucharistiam administrando iis, qui Paschali praecepto satisfacere debent.

3. Contineant se insuper ab aliis Sacramentis conferendis, quorum administratio Parochorum est, neque audeant benedicere, vel alias exercere functiones, quae itidem Parochialis juris sunt.

CAPUT OCTAVUM.

De Monialibus.

Ne cum fatuis Virginibus, deficiente caelestium virtutum oleo aeternae felicitatis ingressu prohibeantur, juxta minaces illas Domini Salvatoris voces: *Amen dico vobis nescio vos* (1) hortamur omnes Dioecesis Nostrae Sanctimoniales, ut ad illam sanctioris vitae perfectionem nitantur, quam suae Religiosae conditionis excellentia, et sublimitas merito postulat. Reminiscantur ideo vota in sua professione emissa, ac saepissime ad memoriam revocent Sanctissimum illum finem, quo Claustrales recessus petiere, et contendant, ut in diem, virtutibus

(1) Math: Cap. XXV, v. 12.

procedentibus, ascendere possint ad Montem, qui Christus est, et conscenso perfectionis culmine, plenissime laetari.

1. Quoniam vero Nostrum est quo sanctiora sunt Ecclesiæ deposita Nobis concredita, eo majori studio, ac diligentia ipsa servare, atque ab hostium insidiis defendere, ad hanc illustriorem Gregis Christi portionem solertiori charitate, et sollicitiori cura attendendum duximus, ut Virgines corpore, ac Spiritu, et virtutibus omnibus circumornatæ cælesti Sponso occurrere possint.

2. Quare præcipimus, ut in omnibus Monasteriis, sive sint clausuræ, sive conservatoria, dum in Ecclesia Sacræ functiones peraguntur, vel in choro recitantur horæ Canonicæ, aut alia pietatis officia peraguntur, crates clausæ omnino sint. Excipimus ab hac lege duo conservatoria, unum sub nomine *Pietatis* in Civitate Surrenti; alterum vulgo dictum *di Jommella* in Paræcia S. Agnelli, paupertatis causa.

3. Cum autem Virgines Deo dicatæ tantum cogitare debeant, quæ Domini sunt, vetamus omnibus Monialibus etiam Conservatorii, ne negotientur, aut mercaturam exerceant bellariorum.

4. Nullus Sacerdos, exceptis propriis Cappellanis, et Canonicis Nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ celebrare audeant in Ecclesiis Monialium, etiamsi Conservatorii tantum sint absque licentia Nostræ Curiæ, sive Vicariorum Foraneorum, quibus hac de re speciales instructiones dabimus.

5. Ne autem in re ulla ab Ecclesiasticis sanctionibus declinemus, imo et abundatiori Charitate illas foveamus, ac consolemur; statuimus, ut ter, vel quater etiam in anno Confessarius aliquis extraordinarius a Nobis eligendus, per aliquot dies illis præsto sit, ut ejus consiliis, et adjutorio confortatæ, ferventiori studio, in viis Domini procedere possint.

6. Tandem filias carissimas in Domino admonemus, ut charismata meliora semper æmulantes, ab omni libertate sermonis oculorum, et aurium abhorreant. Ad Crates nonnisi raro, et justa de causa accedant, et quià in multiloquio non deest peccatum, majori, qua possunt brevitate, se expediant. Ante omnia, et super omnia mutuam charitatem foveant, Sacramenta frequentare studeant, ac in omnibus juxta regulas Instituti vitam gerere diligenter curent. Hinc Confessarios hortamur, ut solerter invigilent, et si quid aberratum a præceptis Nostris animadverterint, Nos certiores de eo faciant, ut gliscentibus vitiis opportunis consiliis occurramus.

CAPUT NONUM.

De Seminariis.

Si præ cæteris cura Nobis ad hanc regendam Ecclesiam Divina Providentia vocati maximam sollicitudinem injecerit, ea profecto, quæ in informandis adolescentium moribus, eorumque animis saluberrimis institutionibus imbuendis expenditur, tamquam præcipua

visa est. Quia vero tum ex Sanctorum Patrum, atque Sacrorum Conciliorum, et præsertim Tridentini statutis, tum experientia sat, superque Nobis perspectum erat Seminariorum institutiones ad id plenius consequendum quam maxime valere, ut Pastoralis officii debito satisfaceremus, huic operæ enixe adlaborandum duximus voti compotes evasuri. Vehementer gaudebamus Surrenti jam florescere illustre Seminarium non parvo adolescentium numero frequentatum, sed valde dolendum erat, Seminarium Vici-Equensis celebre quondam, ac eruditissimis, liberalibusque studiis affluens pene collapsum, et desolatum languescere. Quamobrem absque ulla cunctatione omnes intendimus nervos, ac pro virili conati sumus, ut primum Novo augeretur splendore, alterum vero; omni splendore devenustatum, elegantiori forma, qua nunquam antea, prosperaret.

Neminem latere arbitramur, quæ in tanti operis executionie oppugnanda occurrerunt. Sed utinam, qua cepit Deus, eadem benedictione tantum opus semper prosequatur!

1. Cum jam duo existant in Nostra Dioecesi florentissima Seminaria salutaribus munita regulis, omnibus, qui Ecclesiæ servitio, ac ministerio mancipari cupiunt, persuasum volumus, Nos semper præ oculis auream illam Augustini regulam habere, qua declaravit, se nullum ordinare Clericum, nisi qui vellet secum manere, et si vellet discedere a proposito, recte illi tolleret Clericatum. Nullus ergo ordinibus initiabitur,

nisi qui in persequendis studiis moribusque pie formandis longo, ac diuturno tempore in Seminario degerit.

2. Omnes, qui in Seminario vivunt, ut muneri suo, atque hominum expectationi satisfaciunt, vitæ morumque honestate prælucere debent, et ad eam niti perfectionem, ut si in Clerum adlecti fuerint, fideles et Ministri, prudentes, et super familiam Domini digni, qui constituantur evadant. Si vero seculare statum prosecuti perutiles ac bene moratos cives, societas experiatur.

3. Si quis graviter deliquerit, vel obedientiam, et observantiam Superiori præstare renuerit e Seminario expellendum volumus.

4. Quaque Hebdomada Exomologesim faciant, et saltem bis in mense, quo majori licet fervore, Angelorum pane se reficiant; dummodo Confessariis ad excipiendas convictorum Confessiones a Nobis delectis, non aliter videatur.

5. Orationem mentalem, aliaque pietatis opera, quæ Seminarii Regulæ abunde præcipiunt perfecte observent.

6. Semel quoque, et iterum in mense Regulas in Refectorio legendas cum omni humilitate, et docilitate auscultent.

7. Jam vero quod attinet ad scientias, litterarumque studia, curavimus in Nostris Seminariis omnes tradi lectiones, tum mitium litterarum, scilicet grammatices, humanitatis, Rhetorices, Poeticesque, tum serveriorum Disciplinarum, nempe Philosophiæ, et Mathematices; Theologiæ Dogmaticæ; et Moralis; Historiæ Ecclesiasticæ, et Juris Canonici, nec non artis

characterum, omniumque linguarum, quæ Doctum eruditumque Ecclesiasticum efficere valent.

8. Quare Rector, et cuncti Srcerdotes, per quos carissimi hi Nobis adoloscentes sunt erudiendi sæpe, atque iterum cogitent, se dum eorum institutioni attendunt, non privatam rem agere, sed publicam potius, et perpetuam, adeo ut sua studia, ac labores non solum universa Nostra Diœcesis, sed alia pariter loca, ubi istorum adeloscentium virtus diffundetur, abunde persentient.

9. Magistri crebras apud suos exercitationes instituant, repetitiones nimirum, collationes, disputationes, et alia hujusmodi, eritque eorum industriæ providere, ne frequentes stimuli desint, quibus animi incitentur, ac ferveant.

10. Quotannis studiorum suorum coram multis, interdum vero publicum dent specimen.

11. Cum vero ministerium Ecclesiæ decentissimis, iisdemque religiosissimis ritibus perfici oporteat, adolescentes religioni sacrandos, ita subsecivis horis iis addiscendis vacare volumus, ut et ipsi in sacris officiis obeundis, illos recte exerceant, et alios facile possint ad illos exercendos instituere.

13. Qua de re et Ecclesiasticum cantum, quem firmum vocant plane addiscant, ejusque sibi comparent peritiam, nec levem, nec facile desituram. Et hujus artis peritia non postremæ esse debet curæ, cum de Beneficio conferendo deliberabitur.

13. Adolescentes Seminarii cum prodibunt in pu-

blicum, sive, ut sacra ministeria exerceant in templo, sive ut animi solandi causa deambulent, modestiam, gravitatemque præseferant, et cum sint annis inferiores, sensu, et moribus seniores incipiant esse, ac videri.

14. Ecclesiæ servitium, ut decore præstent omni studio contendant, et in sacris functionibus ad nutum Præfecti Chori, seu Cærimoniarum serviant.

15. Quidquid de ipsorum studiis, et moribus fuerit Nobis relatum, jucundissimum erit cognoscere semper parati eis omnia benevolentiæ signa præbere, cum tempus opportunum videbitur.

CAPUT DECIMUM.

De Missionibus.

Quinam esse soleant mirifici missionum effectus, quantam ex eis populi mirificam sæpissime hauriant utilitatem, quæ cordium vel maxime in malo obduratorum conversiones sequantur, neminem, modo Christianorum præsertim ætatis Nostræ mores cognitos, et perspectos habeat, ignorare posse putamus. Quare toto Jubilæi tempore jam peracto, ut Pastoralis officii muneri satisfaceremus, selectis nostræ Diœcesis Sacerdotibus, verbo, ac opere potentioribus sacras missiones, in quibus nos Superioris munere fungi voluimus, peragendas aggressi, successu incredibili, maximos ac uberrimos animarum fructus collegisse gaudemus. Sic nova, veluti missionum Congregatione Ecclesiam No-

bis commissam, splendidiori luce decoravimus. Nostrum est autem hujus recentis Congregationis regulas constituere, atque ad Apostolorum limina proficiscentes, a Summo Pontifice ea impetrare, quæ Neapolitanis missionum sodalitatibus concessa sunt. Ita confirmatam auctoritate Apostolica æternam fore speramus. Ut autem huic præclarissimo instituto vires, et incitamenta superaddantur, quod sequitur executioni dandum esse præcipimus.

1. Parochi saltem sexto quolibet anno, quo possunt studio, et efficacia curent, ut in propria Paræcia missiones habeantur.

2. Cum tempus, et circumstantiæ id eis liberum faciunt, ad Nos postulationes dirigant, quo votis eorum annuentes, eandem illis largiri possimus eos Sacerdotes potissimum designantes, quos ad animarum salutem aptiores fore putabimus.

3. Omnes, quos huic cœtui adscribere censuimus, quantum in Nobis est hortamur, ut ipsum Jesu Christi Spiritum præ se ferre nitantur arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia, et Doctrina, ut nullum respuant laborem, quem animarum utilitati conducere posse perspiciunt.

4. Illud præ oculis jugiter habeant ejusmodi vitæ rationem illis esse instituendam, ut qui *ex adverso est, vereatur malum dicere de Nobis* (1).

---

(1) Ad Tit. Cap. II. v. 8.

CAPUT DECIMUMPRIMUM.

De Congregationibus serotinis.

Dum Christus Apostolos ad Mundi totins conversionem misit, inter cætera hæc memoranda edixit, quæ, qui missionibus dedicantur alte menti infixa habere debent: *Ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (1). Quare ad fideles perseveranter in officio continendos post missiones, solent Congregationes Serotinæ institui. In Civitate Surrenti hæc pia Congregatio jam viget, quæ non sine magna utilitate, ac fidelium profectu, quotidie habetur. Ut ad istius formam in præcipuis Diœceseos locis aliæ constituantur hæc decernimus.

1. In Ecclesiis Parochialibus, et Collegiatis Caprearum, Massæ-Lubrensis; et Vici-Equensis, nec non in Ecclesiis S. Agnelli; S. Michaelis Arcangeli de Carotto, et S. Mariæ ad Laurum in Comuni Metæ quotidie, vel saltem tribus in Hebdomada diebus hæc pia Congregatio habeatur.

2. Hora, qua illi initium dandum erit, pro locorum moribus constitui poterit, ea tamen lege, ut ante horam vigesimam tertiam pomeridianam nunquam incipiet, neque ultra mediam horam noctis protrahatur.

3. Ritus rerum exercendarum sequens erit. Dato signo æris campani, congregatis fratribus, devote re-

(1) Joan: Cap. XV. v. 16.

citabitur Sanct: M. V. Rosarium cum Lytaniis in fine, et actibus Christianis.

4. Postea Sacerdos zelo, et moribus commendandus brevem cathechesim habebit ad populum super his potissimum, quæ in cathechismo Concilii Tridentini continentur, et hac peracta, aperto Sacri ciborii ostiolo, et luminibus, ut par est, accensis, cantabit *Tantum ergo* cum oratione SS. Sacramenti, sacraque pixide benedictionem sollemnem dabit adstantibus.

5. Dum hæc omnia fiunt, mulieres penitus a viris sint segregatæ, et sufficiens lucernarum numerus in Ecclesia resplendeat, ne perditorum hominum malitia honestati insidiare possit.

6. Etiam, atque etiam Sacerdotes omnes hortamur, ut huic pietatis officio, quod ministerii sui est, diligenter incumbant. Hinc de iis distincte volumus a Parochis certiores fieri, qui eidem charitatis muneri se faciles, libentesque exhibent, ut dato tempore, eorum Apostolicos labores, quantum in Nobis est, remunerare possimus.

CAPUT DECIMUMSECUNDUM.

De Laicorum Sodalitatibus.

Ad fovendam Christianam charitatem, ac Religionis exercitium Apostolici viri pias Laicorum Congregationes instituere excogitarunt. Ingenti gaudio animus noster exultat, dum illas in hac Nostra Diœcesi

florere videmus. Ast cum nihil sit, in quod noxiæ res, et abusus non subrepant, pauca hæc ipsis servanda mandamus.

1. In Dominicis diebus, et festivis de præcepto nequaquam celebretur Missa in iis Cappellis, vel Ecclesiis, quæ ad hujusmodi sodalitates pertinent, nisi Parochiali Missa expleta, ne sodales, qui similiter ad Parochorum curam pertinent a Pastoris voce audienda distrahantur.

2. Quotiescumque functiones Sacræ in eorum exercentur Ecclesiis, nunquam impedimento esse volumus Parochorum Ministeriis, ac functionibus.

3. Longe sit ab illorum singulis officiorum ambitio, et dominandi cupiditas, sed pietas tantummodo, et charitas eorum animos informet, memores præclarissimæ Christi Domini sententiæ: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (1).

4. Diligentissimos se præbeant, assiduosque in Sacramentis rite suscipiendis, hæc enim maxima pietas est, ac devotio.

5. Regulas propriæ Congregationis exquisitissime observent, exerceantque, quia ex regularum neglectu Disciplinæ omnis ruina, ac turpissima Religionis immutatio defluxit.

6. Ne discordiarum sit periculum, præcipimus, ut quælibet controversia, quæ ob rationabiles oriri posset

(1) Joan: Cap: XIII. v. 35.

causas, Pastorali Nostro judicio deferatur, quam paterne definiemus, riteque, perpensis rebus, cui jus faciendum erit dicemus.

7. Pia devotionis exercitia, quæ in illarum Ecclesiis, post prandium, fieri solent, nunquam ante horam vigesimam, cum dimidio incipiant.

8. Intersint Processionibus a Rubrica præscriptis, et aliis, quæ ab Archiepiscopo pro tempore justa de causa præscribuntur.

9. In cadaveribus comitandis ita se gerant, ut mortis consideratione affecti videantur.

10. Diligentissime legata pia adimpleant, illud recogitantes huic fini Congregationum redditus deputatos esse, non ad inanes pompas promovendas, quæ vanitasis, et jactantiæ, non rectæ pietatis indicio sunt.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De administratione locorum Piorum Ecclesiasticorum, et Laicorum.

Quanto timore S. Gregorius M. afficeretur in eleemosynis erogandis, quas illi fideles distribuendas credebant, compertum satis est, jure verens, ne si eas minus recte distribueret, graviter de illis apud Deum debitor fieret. Quid autem de illis dicemus, qui Piorum locorum curam gerentes, quorum bona Patrimonia pauperum, peccatorumque pretium juste, meritoque vocantur, ita ac si propriæ familiæ res forent, expen-

dunt; imo quod magis deplorandum, sæpe sæpius ea nulla dispergentes causa, aut satis parva efficiunt, ut de iis dicatur comedisse sacrificia mortuorum. Ad plura vitanda mala hæc statuenda proponimus.

1. Cum nulla, præter præscriptam a regulis juris, sive canonici, sive civilis (uti de Locis Piis laicalibus præsentibus moribus inductum est) Administratoribus sit bonorum consumendorum facultas, illis perfectissime attendant opus est.

2. Quoties ad novos, et extraordinarios sumptus compellit necessitas, id ne pro Administratorum arbitrio fiat, volumus, sed a Nostra auctoritate, aut consilio res omnis pendeat.

3. Latifundia, ac Domus, quæ ad eadem Pia loca pertinent, adeo florenti loco conservent, ut augeri redditus, nunquam decrescere videantur.

4. Ab arboribus proceris similiter recidendis accurate caveant, ne pœnis a jure statutis feriantur.

5. In reddendis autem rationibus iidem Administratores antiquissimum jus in hac Nostra Diœcesi custoditum observent, videlicet, ut ad singulorum preces per Nostram Curiam deputetur aliquis sacerdos, qui redditus expensasque recognoscat, et probet.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De obedientia quotannis Archiepiscopo, aut Capitulo, sede vacante, præstanda.

1. In hac Metropolitana Surrentina Ecclesia supra hominum memoriam mos invaluit, ut major Cleri pars singulis annis Archiepiscopo pro tempore, vel Capitulo, sede vacante, obedientiam solemniter in Majori Ecclesia præstet inter Missarum solemnia in Festo SS. Philippi, et Jacobi Titularium hujus Cathedralis, in qua præter osculum manus Archiepiscopo exhibendum, oblatio etiam candelarum a multis, qui ex consuetudine tenentur, præstari debet, juxta præscriptum in Rotulo inferius inserendo. Quo similiter tempore per Parochos nonnullarum Ecclesiarum arbor floribus ornata, vulgo *Majo* offerenda est (1).

2. Eadem obedientia præstanda est in sollemnitate SS. Corporis Christi, præter interventum ad Processionem S. Antonini Abbatis, hujus urbis, et antiquæ Diœcesis præcipui Patroni, exceptis candelarum, aliarumque rerum oblationibus.

3. Cum vero huic Metropolitanæ Nostræ Ecclesiæ Diœceses Caprearum, Massæ Lubrensis, et Vici-Equensis perpetuo unitæ fuerint per ultimum Concordatum, statutum est, ut in eodem die Festo SS. Apostolorum Philippi, et Jacobi ab illarum Ecclesiarum respective

---

(1) Synodus Diœces: Surr: 1654 Cap: de Obedientiis.

Collegiatis, Cleris, et Beneficiatis Archiepiscopo Surrentino solemnis obedientia similiter præstetur, et ab eorum nonnullis oblatio etiam candelarum præstetur.

4. Quare, ut huic Cathedræ debitus honor, ac reverentia jure meritoque conservetur, cujus jura Nobis custodienda tradita sunt, jubemus, ut in præsenti Diœcesana Synodo accurate harum obedientiarum ordo, nec non personarum Index, quæ illi tenentur, describatur.

CHIAMATA DI OBBEDIENZA

Nel primo di Maggio di ciascun' anno.

Continuando nel possessorio dritto de' secoli, in cui è stata, ed è questa Chiesa Metropolitana di Sorrento, ed i suoi Arcivescovi pro tempore di chiamare per ben due volte l'anno all'atto della di loro Pastorale obbedienza, non solo gl' Illustrissimi, e Reverentissimi Vescovi suffraganei; ma benanche gli Abbati sistenti colle loro Abbazie in quest' Archidiocesi; i Capitoli delle Collegiate; i Cleri; ed i popoli tutti alla loro Arcivescovile giurisdizione sottoposti; così con ordine di precedenza fissato da Pontificie, e Sovrane disposizioni, onde niuno abbia a riputar les' i suoi dritti, si chiamano a prestar l'obbedienza sudetta.

1. L' Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo di Castellammare suffraganeo con Mitra, e Pastorale.

2. L'Abbate di Caprolla con Mitra, e Pastorale.

3. L'Abbate del Santissimo Salvatore con Mitra, e Pastorale.

4. L'Abbate di S. Renato con Mitra, e Pastorale.

5. L'Abbate di S. Angelo a Revigliano trasferito a S. Pietro della Marina grande, e di poi nel Rev.° Seminario di Sorrento con Mitra, e Pastorale.

6. L'Abbate di S. Pietro a Cermenna con Mitra, e Pastorale.

7. Il Capitolo Collegiale di Capri processionalmente con una torcia di cera bianca.

8. Il Capitolo Collegiale di Massa-Lubrense processionalmente.

9. Il Capitolo Collegiale di Vico-Equense processionalmente.

10. L' Insigne Collegiata di Carotto processionalmente.

11. Il Capitolo del Piano processionalmente.

12. Il Parroco di Priora con una torcia di cera bianca.

15. Il Parroco di Casarlano con una torcia di cera bianca.

14. Il Parroco di S. Fortunata del Capo con una torcia di cera bianca di due libre.

L'Economo Curato della Parrocchia Collegiata di Capri.

Il Parroco Vicario perpetuo della Parrocchia Collegiata di Massa-Lubrense.

L'Economo Curato della Parrocchia Collegiata di Vico-Equense con una torcia di cera bianca.

L'Economo Curato della Parrocchia di S. Sofia di Anacapri con una torcia di cera bianca.

L' Economo Curato della Parrocchia dell'Insigne Collegiata di Carotto.

Il Parroco della Parrocchia di S.Maria di Mortora.

Il Parroco della Parrocchia di S. Maria del Lauro di Meta.

Il Parroco della Parrocchia della Santissima Trinità del Piano.

Il Parroco della Parrocchia de' Santi Prisco, ed Agnello.

Il Parroco della Parrocchia di S. Maria delle Grazie di Trasaella con un'cereo di due libbre.

Il Parroco della Parrocchia di S. Agata di Massa con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di Torca in Massa con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di Nerano con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di Termini con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di Monticchio con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco di Schiazzano con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco di Marciano con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di Pastena con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di Acquaro con una torcia di cera bianca di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di S. Ciro di Vico-Equense con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Sejano con una torcia di una libbra.

Il Parroco della Parrocchia di Fornacella con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Pacognano con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Arola con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Preazzano con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Ticciano con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Mojano con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Massaquano con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia del Santissimo Salvatore con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Bonea con una torcia di cera bianca.

Il Parroco della Parrocchia di Montechiaro con una torcia di cera bianca.

Il Clero della Collegiata di Capri processionalmente con una torcia di cera bianca.

Il Clero della Collegiata di Massa-Lubrense con una torcia di cera bianca.

Il Clero della Collegiata di Vico-Equense con una torcia di cera bianca.

Il Clero della Parrocchia di S. Sofia di Anacapri con una torcia di cera bianca.

Il Beneficiato di S. Maria delle Grazie della Marina di Cassano con una torcetta di cera bianca di mezza libbra.

Il Beneficiato della Trasfigurazione del Signore dentro questa Chiesa Metropolitana nella Cappella di Ammone Sparso con torcia di due libbre.

Il Beneficiato de' Ss. Pietro, e Paolo dentro la Chiesa Collegiata di S. Michele Arcangelo di Carotto con una torcetta di mezza libbra.

I Maestri di S. Onofrio di Marano, e per essi il Cappellano pro tempore con una torcia di una libbra.

I Maestri, seu Cappellano di S. Maria de' Restilianis nel luogo di Marano jus Padronato della famiglia Auriemma con una torcia di due libbre.

Il Cappellano pro tempore di S. Maria della Natività a Fontanella della famiglia Gargiulo con una torcia di mezza libbra.

Il Cappellano pro tempore della Santissima Annunciata de' Cafieri del luogo di Alemuri con carlini cinque.

Il Reverendo Seminario di Sorrento, e di Vico colle rispettive offerte.

Il Beneficiato, seu Rettore pro tempore della Chiesa di S. Onofrio di Marano con una torcetta di mezza libbra.

Il Cappellano della Messa perpetua fondata pel qu: Giauvincenzo Gargiulo nella Cappella di S. Rocco di Majano con una torcetta di mezza libbra.

Il Cappellano della Cappellania sotto il titolo di S. Cataldo fondata dal qu: D. Girolamo Anfora con una torcetta di mezza libbra.

Il Cappellano della Messa Domenicale fondata dalla qu: Suor Nicola Gargiulo nella Chiesa del Venerabile Monistero di S.Paolo con una torcetta di mezza libbra.

Il Cappellano della Messa fondata dalle RR. D.Serafina, e D.Orsola Brancio nella Chiesa del Ven. Monistero di S. Paolo con torcia di una libbra.

L' insigne Collegiata di Carotto con un cereo di tre libbre.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Giuseppe fondato dal qu: D. Giacinto Fasulo con una torcetta di mezza libbra.

Il Cappellano della Messa fondata da Michele Coppola con una candela di tre once.

Il Cappellano della Cappellania fondata da D. Carlo Maresca con una torcetta di mezza libbra.

Il Cappellano della Messa fondata da D. Antonio Pontecorvo con una candela di tre once.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Lucia fondato da D. Attanasio Piscopo con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo del Bambino Gesù della Congr: de' Servi di Maria con una torcetta di una libbra.

Il Cappellano pro tempore della Messa Domenicale, e festiva eretta, e fondata da Governatori della Ven: Chiesa di S: Onofrio del luogo di Marano jus padronato della famiglia de' Canto con una candela di tre once.

Il Rev: Amministratore pro tempore de' SS. Sacramenti dell' Eucaristia, e dell' Estrema unzione della Ven: Cappella della Santissima Annunciata del Terziere di S. Lucia nel luogo di Meta con una torcia di cera bianca di due libbre.

Capri.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Antonio di Padua in Capri con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Lorenzo in Capri con una torcetta di mezza libbra.

Anacapri.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Maria di Costantinopoli in Anacapri con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo della Maddalena in Anacapri con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo della Santissima Annunciata di Castiglione in Anacapri con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato del beneficio di S. Pietro, e S. Vincenzo in Anacapri con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato del Santissimo Salvatore in Anacapri con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato della Santissima Annunciata in Anacapri con una torcetta di mezza libbra.

Il Beneficiato di S. Maria delle Grazie in Anacapri con una torcetta di mezza libbra.

Massa.

Il Cappellano di S. Maria del Campo in Massa con una torcia di una libbra.

La Congregazione di Monticchio in Massa con una torcia di due libbre.

Il Cappellano di S. Montano in Massa con una torcia di una libbra.

Il Cappellano della Cappella di S. Anna sopra Puolo in Massa con una torcetta di mezza libbra.

Il Monastero della Lobbra in Massa con una torcia di quattro libbre.

Il Cappellano della Cappella di Loreto in Massa con una torcia di una libbra.

Il Cappellano della Cappella di S. Agata in Massa con una torcia di una libbra.

Il Cappellano di S. Anna detta a Rivo con una torcia di una libbra.

Il Cappellano della Cappella detta della Rorella con una torcetta di mezza libbra.

La Congregazione di S. Maria della Purità, e di S. Michele Arcangelo nella Chiesa Parrocchiale di Acquara con una torcia di due libbre.

Il Beneficiato pro tempore del beneficio sotto il titolo della Visitazione con una torcia di quattro libbre.

La Congregazione del Casale di Nerano con una torcia di due libbre.

Il Beneficiato pro tempore di S. Marino di Loreto con una torcia di tre libbre.

La Congregazione del Casale di Marciano con una torcia di una libbra.

La Congregazione del Casale di Termini con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo della Santissima Annunciata con una torcia di una libbra.

Vico.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Giovanni Evangelista in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Michele Arcangelo in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Maria ad Nives in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Antonio di Padua in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo de' Ss. Gennaro, e Sossio in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Giacomo Apostolo in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo dell'Assunta in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Lucia in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Paolo Apostolo in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Lorenzo in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Giovanni in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Margarita in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Anna in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Trofommea in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Giovanni Battista in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Andrea Apostolo in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Marco in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato de'Ss. Agostino, e Marziale in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Romualdo in Vico con una torcia di una libbra.

Il Beneficiato sotto il titolo di S. Bartolomeo in Vico con una torcia di una libbra.

Il Popolo del Piano processionalmente.

Il Popolo di Capri processionalmente.

Il Popolo di Massa-Lubrense processionalmente.

Il Popolo di Vico-Equense processionalmente.

L'Albero di S. Antonino.

L'Albero de' Ss. Felice, e Baccolo.

L'Albero di S. Giovanni Dominovæ.

L'Albero di S. Attanasio di Priora.

L'Albero di S. Maria a Galatea, trasferito a S. Maria di Mortora.

L'Albero di S. Maria del Lauro.

L'Albero di S. Michele Arcangelo di Carotto.

L'Albero della Santissima Trinità.

L'Albero della Coadiutoria del Casale di Albori.

A tutti coloro, che si sono presentati alla obbedienza Monsignore Arcivescovo da la sua Pastorale benedizione. Tutti quelli poi, che non sono comparsi nella presente obbedienza l'Eccellentissimo e Reverendissimo Arcivescovo li dichiara incorsi nelle pene comminate nell' editto.

CONCLUSIO SYNODI.

Universa, quæ nostri tenuitas studii pro Dei honore, et inspirationes sanctæ, quas valde abundantiores super Nos in hac Synodo experti sumus, constituenda esse monuerunt, quo meliori modo datum est ordinavimus, vestrisque adhibitis consiliis considerate egimus. Hæc quidem Religionis Nostræ Majestas, et Disciplinæ Ecclesiasticæ puritas, et animarum Nobis concreditarum salus visa sunt expostulare. Nunc eadem oportet auctoritate Nostra confirmentur, uti facimus, præcipientes, hanc Nostram Dioecesanam Synodum a die, qua typis edita fuerit, et per Nostræ Curiæ Ministros distributa vim omnem habituram.

Nobis, nostrisque in perpetuum successoribus reservamus facultatem temperandi, adjungendi, vel detrahendi, prout opportunum videbimus quidquid novæ quæ offeruntur res, faciendum obstringent.

Verum jam credimus, certoque confidimus, tum Clerum Nostrum, tum laicorum universitatem sedula, promptissimaque voluntate accepturos Synodales hasce constitutiones, imo mutuo contendere, ut Religionis amor ea omnia comprimat, quæ specialis cujusque utilitas, ab illis offensa, opponere posset.

Demum agnoscentes Romanam Ecclesiam Matrem, et Magistram omnium Ecclesiarum, et Leonem XII. Jesu Christi in terra Vicarium, Illi omnia hæc Nostra subijcimus, firmiterque promittimus corrigere, et emendare quid quid emendatione dignum erit judicatum.

GABRIEL ARCHIEPISCOPUS SURRENTINUS.

ANTONINUS CAN: PALOMBA *Synodi Secretarius*.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

INDEX CAPITUM

PARS I.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

FINIS.

Cum multa in hac Synodo irrepserint menda, uti assolet, quoties aliquid typis demandatur, necesse est, saltem hic præcipua, lectorum commodo notare, levioribus aliis neglectis.



Primus numerus indicat paginam, secundus versum.

	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. III. - Vers.	14. et conceptum	ut conceptum
	15. valeremns	valeremus
Pag. IV. - Vers.	9. Dominum	Domum
	19. ut uberioris	ut uberiores
Pag. V. - Vers.	3. De Spirito	De Spiritu
	4. In choro	choro
	Mai	Maii
Pag. VII. - Vers.	2. Pentecosten	post Pentecosten
Pag. 9. - Vers.	3. Pentecosten	post Pentecosten
Pag. 10. - Vers.	2. Pentecosten	Pentecostes
Pag. 11. - Vers.	23. Surgit	surrexit
	24. procumbit	procubuit
Pag. 15. - Vers.	11. institute	instituto
Pag. 16. - Vers.	4. impartita	impertita
	20. quoque tempore	quoquo tempore
Pag. 19. - Vers.	12. Synadalibus	Synodalibus

Pag. 22. Seq. Exam. Synod. per er. des. - Vers. 13. Rev. Dom. Aloysius Cuomo Eccl. Coll. Carotti Canon.

Vers. 14. Rev. Dom. Cajetanus Massa Eccl. Coll. Carotti Hebd.

	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 26. - Vers.	26. Capitolo	Capitulo
Pag. 29. - Vers.	19. Sencitum	Sancitum
	29. Canonicos	Canonici
Pag. 30. - Vers.	12. Escusati	Excusati
Pag. 34. - Vers.	4. Pentecosten	Pentecostes
	26. cærimonis	cæremoniis
Pag. 38. - Vers.	2. portenda	portenta
	5. consumetur	consummetur
	12. præestat	præstat
	26. ejce	ejice
Pag. 40. - Vers.	18. fornificatione	fornicatione
	22. trista	tristia
	26. laicos	laici
Pag. 42. - Vers.	5. histiusmodi	istiusmodi
Pag. 44. - Vers.	6. Evangellii	Evangelii
	18. glorificamus	glorificemus
Pag. 46. - Vers.	27. Difensores	Defensores

Pag. 47. - Vers.	2. utique	ubique
	24. His	Hic
	27. regimini	regimine
	28. flagrandissime	flagrantissime
Pag. 48. - Vers.	14. ne mortifero	ac mortifero
Pag. 50. - Vers.	10. cnncta	cuncta
Pag. 51. - Vers.	16. sit	est
Pag. 53. - Vers.	6. compouere	componere
Pag. 54. - Vers.	14. gravo	pravo
	19. comuni	communi
Pag. 56. - Vers.	2. afferuntur	efferuntur
Pag. 59. - Vers.	8. suffragatur	suffragetur
Pag. 62. - Vers.	11. dispensatur	dispensetur
Pag. 63. - Vers.	19. timorem	timore
	cærimonias	cæremonias
Pag. 66. - Vers.	19. Symbulum	symbolum
Pag. 68. - Vers.	2. extimatores	æstimatores
	5. quæsisse	quæsivisse
Pag. 70. - Vers.	3. confidemus	confidimus
Pag. 71. - Vers.	15. Cærimoniarum	cæremoniarum
Pag. 73. - Vers.	20. eorumque respective genitorbus	ejusque genitoribus
Pag. 74. - Vers.	5. nihilquæ	nihilque
	11. Etnicorum	Ethnicorum
	20. reicientur	rejicientur
Pag. 76. - Vers.	3. corumque invicem parentes	illiusque parentes
Pag. 77. - Vers.	2. axibita	exhibita
Pag. 79. - Vers.	8. comnnionem	Communionem
Pag. 81. - Vers.	2. volentes	valentes
Pag. 83. - Vers.	20. obtentu	obtutu
Pag. 84. - Vers.	20. grava	gravi
Pag. 89. - Vers.	17. eundem	idem
Pag. 93. - Vers.	16. Sacramentarium	Sacramentariam
Pag. 94. - Vers.	14. studet	studeat
	15. profligere	profligare
Pag. 99. - Vers.	12. eleemosinis	eleemosynis
Pag. 101 - Vers.	17. ad hujus	ab hujus
Pag. 102 - Vers.	17. ordinandi	Ordinanti
Pag. 116 - Vers.	8. seculare	secularem
Pag. 116 - Vers.	27. serveriosum	severiorum
Pag. 121 - Vers.	4. cathechesim	catechesim
Pag. 121 - Vers.	5. Cathechismo	Catechismo
Pag. 121 - Vers.	13. insidiare	insidiari
Pag. 125 - Vers.	15. vanitasis	vanitatis

